

Gr. 183. 8

X 1976141

Ve
839

JOHANNIS CHRISTOPHORI Sipolds

TRACTATUS JURIDICUS

DE

CONDICTIONE

INDEBITI,


Ex jure communi, Saxonico & Con-
stitutionibus Imperii deductus,

Cum Indice rerum & verborum adjecto.



Cum gratia & Privilegio

Sumptibus RUPERTI VÖLCKERS, Bibliopol.



BEROLINI,
Typis RUNGIANIS,
M. DC. LXV.

7



Faint, illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side.

1488

D
L
A
her
Se
Pra
jug
Ser


tute



REVERENDISSIMO, PERILLUSTRI ET
GENEROSISSIMO,

DOMINO

DN. OTTONI,

LIBERO BARONI DE Schwerin/
Aulæ Elect. Brandenb. Camerario
hereditario, Toparcha in Landsberg / Krummensee /
Oldewichshagen / &c. &c.

Sereniss. Elect. à Consiliis Sanctioribus,
Præsidi supremo, Serenissimæ Celsitudinis ipsius Con-
jugis Præfecto Aulico, Capituli Brandenburg. Præposito,
Sereniss. Brandenb. Septemviratus heredis Aulæ magistro
primario, præfecturæque Uranienburg /
Capitaneo &c. &c.

DOMINO MEO GRATIOSO.

* * * * *

AUlet præsens tractatus ILLUSTRIS & Generose
DN. BARO, sibi nomen tuum inscribere, & Te velut
tutelare numen eligere. Non quod suo abs te foveri merearur
pretio,

pretio, sed quod non poterat patronum Te digniorem nan-
cisci, nec vulgarem flagitabat magnitudo invidiæ cui me te-
meraria præsentis thematis exponet electio. Te sanè Patro-
no nulla extimesco invidorum quantumvis aculeata spicula;
Tibi quod probatur, non potest non & toti literatorum gre-
gi valdè probari: probabis autem ut spero, si non opus ipsum,
sed saltem in re difficili paritèr & utili conatum considerabis
Mirantur alii, Te licet gravibus obrutum negotiis ac curis
Musas in sacrarium tuum admittere. Equidem in tanto
fastigio hæc minimè sunt obvia, & quo rariora, eò in te ad-
mirabiliora, tamen neque in his finibus laus tua continetur.
Addis literarum meritis raram morum suavitate gratam
orbi comitatem, aliasque pulcherrimas dotes, quas si omnes
detexero ante lassetur calamus, quam finem videat. Et
sanè iis recensendis non opus esse præcone videtur. Non
enim heri aut nudius tertius orbi innotuerunt ingenii tui
& aliorum monumenta non pauca æternitati consecrata,
inclytum nomen, virtutesque tuæ loquuntur, quæ omnia
& me quoque in Tui cultum abripuerunt. Quin illud
maximè abripuit, & summa in Te esse omnia certum fuit
argumentum, quod Serenissimi & Potentissimi DN. DN.
Electoralis Brandenburgensis cujus, utrum Majestas, an
prudencia stupenda magis dubito, iudicium merueris, &
magnificè de Te semper conceptam spem, saluberrimis
sapiantissimisque tuis quæ per omnem vitam maximo Cel-
situdinis ipsius subditis emolumento subministraasti Consi-
liis,

liis, non solum adæquaveris, verum etiam sis super-
gressus. Quapropter Generositati Tuæ præsentem
tractatum dedicare, tuisque auspiciis ipsum in publi-
cum prodire volui, Hoc igitur dum facio peto, ut
votivam hanc tabellam Numinis Tui templo dica-
tam facilis admittas, meque Generositati Tuæ totum
deditum benignissimè suscipias, provehas atque de-
fendas. Quod reliquum est, DEUS O. MAX.
Te jubeat annare ac perennare ad desituri usque
seculi crepuscula. Berolini Anno cl. lxx. LXV.

Reverendissima

&

Illust. ^{mæ} Generos. ^{ti} Tuæ

*Addictissimus & devotis-
simus*

Johan. Christoph. Lippold.

BENEVOLO LECTORI SALUTEM P. P.
A U T O R.

Ita plerumquē hodiē mos viget Lector Benevole, ut qui tractatum aliquem edunt, prolixiori præfatione, materiam quam susceperunt commendent, ac quandoque ejusdem utilitatem tantis efferant laudibus, quasi nulla in toto jure reperiat, quæ & utilitate & necessitate cum illa possit comparari. Quorum neutrum quamvis improbemus, neutrius tamen etiam eorum legere vestigia, & de conditione indebiti vel utilitate, vel subtilitate quicquam differere hâc vice animus est, cum nullus vel mediocriter saltem in jure versatus ejus utilitatem & necessitatem maximam esse, inficias ire possit, præsertim cum hodiē prudentissimi, qui in extricabilibus involuti sunt erroribus, dum debitum solverunt, indebitum esse solutum sæpissimè deprehendant, quod ex natura conditionis indebiti in propatulo est, quia tamen ipsa tacitam conditionem actus resolutivam continet, quod scilicet solvens velit revocatum, si apparuerit postea indebitum, & hinc oriatur præsens conditio indebiti, idcirco non solum materiam, hanc tanquam in foro necessariam, quantum inter hætenus susceptas occupationes forenses per otium in eam inquirere potui, in certa capita & paragraphos cum adjectis nonnullibi notabilioribus à Jctorum Collegiis de propositis casibus latis sententiis & redditis responsis redigere, simulque indicem, ut primo quasi intuitu quid in ipso contineatur videri possit adjicere, & juris publici facere volui. Tuum autem erit Lector benevole, si quid tumultuariâ operâ scriptum, æqui bonique consulere. Vale:

INDEX

INDEX CAPITUM
QUÆ IN HOC TRACTATU CONTI-
NENTUR.

CAP. I.

De

*Origine condictionum in genere, & de condictionis inde-
biti definitione nominali in specie.*

CAP. II.

*Continens Conditionis indebiti definitionem realem,
ejusq; interpretationem.*

CAP. III.

De

Divisione condictionis indebiti.

CAP. IV.

De

*Causa efficiente condictionis indebiti remota & pro-
pinqua.*

CAP. V.

De

*Personis, quibus datur conditio indebiti, & de forma
libelli hujus actionis.*

CAP. VI.

De

Personis contra quas competit hac conditio.

CAP. VII.

*An error juris & facti in condictione indebiti locum
habeat.*

CAP. IIX.

CAP. IIX.

De

Personis quibus jus civile propter errorem juris, ex singulari jure repetitionem concedit.

CAP. IX.

De

Materia conditionis indebiti.

CAP. X.

De

Triplici indebito, & quidem de indebito civiliter & naturaliter simul.

CAP. XI.

De

Indebito naturaliter & civiliter debito.

CAP. XII.

De

Indebito civiliter & debito naturaliter.

CAP. XIII.

De

Forma hujus actionis, in quo loco nempe reus conveniri, & quid actor petere & probare debeat.

CAP. XIV.

De

Fine, effectu & affinibus conditionis indebiti.

CAP. XV. & ult.

De

Exceptionibus reo competentibus.





CAP. I.

De

ORIGINE CONDICTIONUM IN GENERE, ET DE CONDICTIONIS INDEBITI DEFINITIONE NOMI- NALI IN SPECIE.

§. I.



Rigo condictio[n]um ex æquo & bono est, suntque omnes naturales & juris gentium, quia ipsæ actiones sunt ex jure gentium; jam vero condictio nihil aliud est, quam in personam actio, quæ cum eo, qui nobis ad faciendum aliquid, vel dandum obligatus est agimus, & jure gentium condici potest, res ab illis qui non ex justâ causâ possident. *l. 25. ff. de act. rer. amot.* Ex æquo & bono verò dicitur introducta, quia illud, quod apud alterum sine causa deprehenditur, revocari potest, ita pecunia mea, quæ apud alium pervenit, eam mihi reddi ab ipso bonum & æquum est secundum *l. 32. ff. de reb. cred. & jurejur. l. 8. §. 22. ff. de transact. verb.* æquissimum erit in eum dari repetitionem. Et hæc de origine condictio[n]um in genere delibasse sufficiant, jam ad ipsam condictio[n]is indebiti materiam me confero.

§. 2. Sed ne ad rem ipsam properanti ambiguitas quædam in voce hærens fraudi sit, deprehendo condictio[n]em indebiti in jure nostro dupliciter accipi. Primò generaliter, pro quavis actione in personam, quæ rem alteri non debitam repetimus eamque nobis restitui postulamus. Paul. in *L. 65. pr. ff. de condict. indeb.* Ut verò generaliter de repetitione agam, sciendum est, dari aut ob transactionem, aut ob causam, aut propter Conditionem, aut actionem, aut indebitum, in quibus omnibus quæritur de repetitione; in quâ generali significatione sub se complectitur speciales quasdam condictio[n]es, ut condictio[n]em ob turpem causam, condictio[n]em sine causa, & denique

A

CON-

condictionem furtivam, in quibus omnibus repetitur res alii non debita, ab eò tamen possessa. Secundò specialiter, pro eà actione, quã indebitum ex errore alicui solutum tanquam debitum repetimus. *Carpzov. Lib. 4. Respons. Elect. tit. 9. resp. 63. n. 33.* Et dicitur à condicendo quasi colloquendo de debito *Andr. Clud. de Condict. ob turp. caus. c. 5. n. 16.* *Schneidew. ad §. appellamus I. de act.* Indebitum verò dicitur à privativã particulã in, & supino debitum, quod indebitum definiri solet, quod sit id, ubi neque is, qui solvit, debebat, neque ei, cui solutum est, debebatur. *Sichard. ad Rubric. C. de condict. indeb. n. 4.* alio nomine vocatur quasi mutuum & pro mutuum, quia re contrahitur & non pauca cum mutuo habet communia quæ refert *Cuiac. Lib. 8. Observ. 34.* Interdum etiam actio in personam appellatur *§. 15. I. de act. l. 25. §. O. & A.* aliquando simpliciter actio, condictitia actio *§. 1. I. quib. mod. re contr. Oblig. l. 7. in fin. de Condict. caus. dat. caus. non secut. & condictitia simpliciter, actio conductionis. l. 1. C. b. t. & sæpissimè repetitio l. fin. C. b. t. l. 5. l. 23. pr. ff. eod. mihi de conductione ob causam erroneam, quæ alias indebiti in specie, & alibi indebita condictio & actio indebiti dicitur l. 24. pr. de act. empt. l. 15. §. fin. b. t. in hoc tractatu potissimum sermo erit.*

CAP. II.

CONTINENS CONDICTIONIS INDEBITI DEFINITIONEM REALEM, EJUSQUE INTERPRETATIONEM.

§. I.

Definitionem nominis sequitur definitio realis. Definitur condictio indebiti in genere, quod sit actio personalis stricti juris in heredes transitoria, qua indebitum per errorem solutum aut promissum repetimus.

§. 2. Huic definitioni ut sua constet veritas, singula ejus membra exponam. Est igitur actio, quæ vox generalis est, comprehendens tam actiones reales quam personales *§. 1. §. 15. j. de action. l. 25. l. 35. ff. de O. & A.* licet interdum strictius pro actionibus personalibus sumatur, *l. 28. de O. & A. & quidem personalis §. 15. j. de actione*

actio. per quem §. 5 l. 25. in pr. ff. de O & A. condictiones dicuntur actiones personales. Ita enim ipsi Impp. condictiones interpretati sunt actiones in personam *l. 1. C. de donat. qua sub. mod. vel condit.* in verbis nam non solum condictio quidem tibi in hoc casu i. e. in personam actio, jure procedit; Nec potest nisi personalis competere domino in accipientem per solutionem indebiti translatio *l. 3. ff. de solbt. l. 2. §. 8. ff. de stat. liber. Stricti juris*, quia primo imitatur naturam conductionis mutui propriè sic dicti *l. 1. C. b. t.* Sichard. ad Rubric. *C. b. t. Zoef. ad ff. eod. tit. n. 3.* deindè exemplo omnium conductionum, quæ non bonæ fidei, sed stricti juris actiones sunt, tertio quia in §. *actionum f. de act.* ubi Imperator omnes bonæ fidei actiones recenset, nullam hujus facit mentionem. Nec obstat ratio Bachovii quando dicit in *Disp. 6. de act. t. b. t.* conductiones potius esse bonæ fidei quam stricti juris actiones, cum illæ actiones sint in personam, præcipue vero, quia secundum nonnullos de conductione indebiti in *l. pen. b. t.* hoc ipsum expressè affirmatur, non enim sequitur, hæc qualitas bonæ fidei actionum in personam propria est, etgo omnes actiones personales bonæ fidei actiones sunt. *in l. vero pen. b. t.* verbis ex æquo & bono, origo conductionis significatur, aliud enim est esse actionem ex æquo & bono, hoc est, æquitatem suadere, ut actio introducatur, & aliud est actionem esse bonæ fidei, nullæ enim actiones bonæ fidei dicuntur quod initium eas constituendi sit ex æquo & bono, sed quia in iis omnia ex bona fide judicantur, tam quæ præstanda, quam quæ non sunt præstanda. *In heredes transitoria*, tam ex parte actoris *l. 12. ff. b. t. l. 1. C. eod.* quam rei *l. 26. §. 11. ff. d. t. jung. infra cap. 5. §. 1. per errorem solutum*, quod hic tantummodò abusivè ponitur, dum spectatur, non quod revera, sed quod dantis opinione fit; nam solutio revera non est, nisi debiti *pr. l. quib. mod. re contr. oblig.* nunc autem de eo agitur, qui præstat, quod non debet, ergo condictio indebiti tribuit solventi id, quod non debet *l. 19. §. 1. junct. l. 65. §. ult. ff. de condict. indeb. l. 5. C. eod. l. 31. pr. ff. de petit. hered. Carpzov. part. 2. Const. 24. def. 10. n. 2.* Ideò verò solvere dicitur, quia se debere putans, dum hac opinione indebitum tanquam debitum præstat, se solvere existimat: qui enim solvit, quod putat se debere, expresse hoc agit, ut contractui satisfaciat & ita transferat dominium §. 1. *quib. mod. re contr. oblig. §. 6. de oblig. que quas. ex contract. nasc.*

*nasc. junct. l. 29. ff. h. t. Hahn. ad Wesenb. h. t. n. 5. Nec obstat l. 3. §. pen. de condict. caus. dat. caus. non secut. l. 35. de A. R. D. ubi error intervenit, & tamen dominium non transfertur, quod est contra d. l. 29. h. t. Respondemus enim primo, aut plane nulla causa subest, aut vero aliqua subest sed erronea, priori casu non transfertur dominium sed posteriori. Secundo error tunc demum translationem dominii impedit, quando in ipsa solutione sive in iis, quæ ad essentiam solutionis pertinent, erratum est, v. gr. si quis rem suam solvit, quam alienam putavit, tunc dominium non transfert *d. d. text. opposit.* animum enim rei suæ solvendæ & in alium transferendæ non habuit, ideoque hic error utpotè consensui & voluntati contrarius, dominii translationem impedit; at in nostro casu error est in casu solvendi, nempe in re nostra v. gr. qui putabat se ex mutuo vel stipulatione debere cum tamen non debet. *Confer. l. 72. §. 7. de Condit. & demonst.* tacite verò & hoc agit, quod si postmodum indebitum appareat, id repetere velit, *l. 13. in fin. commodat. Gudelin. de jure noviss. Lib. 3. cap. 4. n. 6.* & alter accipiendo indebitum ex ipsa re *d. §. 1. j. quib. mod. re contr. oblig.* obligatur ad restitutionem *l. 12. l. 46. ff. de Condict. indeb. l. 5. C. eod. tit. Carpzov. part. 2. Con. 46. def. 2. n. 2. Gudelin. d. loc.* unde agenti contra eum datur hæc condictitia actio personalis, nec rei vindicatio ob translatum solvendo dominium habet locum. Indebitum enim primario tollendæ obligationis causa solvitur, ita ut rei solutæ dominium transferatur, cum ergo in omni rei vindicatione oporteat eum qui agit dominum esse *l. 23. de R. V.* manifestò apparet ei, qui conventionne prævia & secuta traditione volens dominium transtulit, vindicationem non competere. *Jung. Andr. Clud. de condict. indeb. c. 1. n. 96. Peretz. ad C. b. t. n. 2.**

CAP. III.

De

DIVISIONE CONDICTIONIS INDEBITI.

§. 1.

Hercisci autem commodè condictio indebiti potest in conditionem certi & incerti, quæ divisio desumpta est ab objecto & omnibus conductionibus est communis. *Frantz. ad. ff. d. condict. sine caus. n. ult.*

§. 2. Quod

§. 2. Quid autem certi & incerti condictio sit, intelligemus si quid sint res certæ quid incertæ intellexerimus, ratione enim objecti seu rerum quas persequuntur, ita dividuntur. Est verò certum, quod ex se & sua naturâ & pronuntiatione hominis, quid, quale, quantumve sit apparet, *l. 6. de reb. cred. l. 74. & seq. de verbor. obligat.* quod utrumque, ita concurrere oportet exgr. si quis fundum sine propria appellatione, hoc modo, fundum Tusculanum aut Cornelianum promittat, res quidem demonstratione & naturâ certa, sed pronuntiatione propter disjunctionem sub quâ promissio facta est, incertæ sunt, cum sit in debitoris voluntate, uter fundus debeat solvi, ita enim in disjunctivis obtinet obligationibus, hoc est, cum illa aut illa res promittitur, ut debitoris electio sit. *l. 10. §. fin. de jur. dot.* Incertum contra est, ubi horum unum deficit sive ubi aut per naturam, aut per pronuntiationem non apparet, quid, quale, quantumve promissum sit, ut si quis vinum aut frumentum in qualitate promittat. Certi igitur condictio est, quoties id quod condicatur certum est, sive ex contractu certo petatur, sive ex incerto. *l. 7. l. 9. ff. de R. C.* Incerti verò, quoties incertum istud est, quod in conductionem venit, ut in *l. 8. pr. ff. de act. empt. l. 2. §. 3. & §. 4. in fin. de donat. l. 3. b. t.* Neque infrequens in certum & in incertum in jure nostro est divisio, sic stipulationes aliæ certæ, aliæ incertæ appellantur *l. 74. pr. de V. O.* & duplex quoque actio ex stipulatu datur. Sic contractus alii certi sunt, alii incerti. *l. 1. §. 6. de Constit. pecun. l. 9. pr. de R. C.* item actiones aliæ certæ aliæ incertæ dicuntur. *l. 8. de usufr. ear. ver. quæ usu amit. l. 27. §. fin. & l. seq. de recept.* Sic actio quâ servitus petitur actio incerti vocatur. *l. 1. de usu & usufr. legat.* item actio ad exhibendum *l. pen. de pos.*

§. 3. Porrò dividi solet condictio indebiti in directam & utilem. Hæc competit ei, qui ipse debitum solvit, illa vero ei competit, qui non ipse quidem solvit, in debitum tamen exsolutum ad ipsum redire æquitas suadet v. gr. posthumo, vel alii cuivis heredi testamentum rumpenti adversus legatarium, cui scriptus heres legata indebita præstitit *l. 2. l. 3. ff. b. t. l. 17. ff. de hered. pet. domino prædii adversus prædonum, cui conductor mercedem solvit l. 55. ff. b. t. impuberi vel minori, cujus nomine tutor vel curator solvit l. 57. ff. b. t. mandanti, cujus nomine procurator indebitum exsolvit l. 6. ff. eod.*

CAP. IV.

De

CAUSA EFFICIENTE CONDICTIONIS INDEBITI REMOTA ET PROPINQUA.

§. I.

CAusa efficiens conditionis indebiti est vel remota vel propinqua; remota est ipsa æquitas naturalis *l. 15, l. 66, ff, h. t.* natura enim æquum est, neminem cum alterius damno lucupletari *l. 14, ff, eod. l. 17, §, 4, in fin. ff, de instit. act. l. 206, ff, de R. J. Richter Part. 2. Decis. 96, n. 138.* quod alias fieret, si adversus eum, cui indebitum solutum est, nulla in jure nostro extaret actio. Propinqua vero est quasi contractus, §, 1, j. quib. mod. re contr. oblig. *l. 5, §, 3, ff, de O. & A.* Circa causam autem remotam consideranda venit tam persona solvens, quam cui solutum est, de quibus in sequentibus.

§. 2. Cum autem causa efficiens conditionis indebiti propinqua sit quasi contractus, hinc oritur quæstio: An hæc conditio si-ve actio de eo, quod ex errore indebitè solutum est, competat ex vero, an ex quasi contractu? Nos eam ex quasi contractu competere statuimus moti sequentibus rationibus; primo, quia solutione indebiti non id agitur à solvente & accipiente, ut contractus & obligatio quam subesse putant distrahatur §, 1, j. quib. mod. re contr. obligat. *l. 5, §, 3, ff, de O. & A.* Jam verò, in quo negotio non id agitur, ut obligatio contrahatur, sed ut distrahatur, id contractus appellari verus ac proprius nequit, ad contractum enim requiritur, ut contrahentes idagant, ut obligatio nascatur, quia contractus & distractus opposita sunt, quæ de uno eodemque respectu prædicari & enunciari nequeunt, quod ipsum etiam leges ex suppositione erroris & deficientis obligationis, quæ per solutionem perimitur, hoc ita interpretatæ sunt, ut solvens hoc voluisse crederetur implicite, ut si indebitum esset, restitueretur, & alias quoque, ita voluntas defuncti explicari solet, ut præter id, quod expressè dixit, aliud tacite voluisse censeatur, unde tacita substitutio ex constitutione D. Marci, *l. 4, pr. de vul. & pupill. subst.* ut casus vulgavis expressus extendatur etiam ad alterum seu pupillarem non expressum & contra; quæ sumpta sunt ex conjectura voluntatis, Et hic quidem tacita illa conventio eò minus potest

potest facere verum contractum, quia hæc mens indebitum solventis non est, alium sibi velle obligare, sed ab obligatione se liberare, adeoque hic actus non potest contrarium effectum introducere, actus enim agentium non ultra eorum intentionem operantur *l. 19, pr. de R.C.* neque etiam accipitur eo animo, meritò itaque hic consensus fictus & præsumptus, quasi constituet contractum §, 6, 7, *de oblig. quæ quas ex contr. l. 5, §, 3, de O. & A.* Nec obstat: quod taciti & expressi eadem sit virtus, unde tacita conventio non minus conventio est, *l. 2, de pact.* ita societas tacitè contrahi potest, *l. 40, pro soc. mandatum l. 6, §, 2, l. 18, mandat.* Non enim sunt omnia tacita ejusdem generis, nam unum alio magis ad inducendum consensum directum & determinatum est: appellaturque hic tacitum, non quod expressum non sit, sed quod non verum sed fictum & præsumptum *l. 3, in fin. cum l. seq. quib. ex caus. in poss. eat. l. 13. commod.* Deinde etiam falsum est, eandem esse essentiam expressi & taciti, quod ne quidem in producendâ actione simpliciter verum est. *Clud. de Condict. indeb. c. 1 n. 67. & seqq.* Secundo, quia imperator apertè solutionem indebiti quasi contractibus annumerat. *Sichard ad Rubric. C. de condict. indeb. Hunn: Lib. 3, Variar. Resolut. tract. 3, part. 1, quest. 1.* qui ad *Diss. Donelli* argumenta respondet. Nec obstat porrò *l. 33, ff, b. t. l. 13, §, fin. commodat.* Improprè enim in illis legibus, non autem simpliciter dicitur negotium geri, sed aliquid negotii, respectu scilicet ejus, qui in aliena area ædificat, qui nec ex vero, nec ex quasi contractu obligat alterum. Et licet hic quasi contractus ex tacita & præsumpta conventionione oriatur, ut si indebitum fuisse appareat restituatur tamen hoc etiam verum est, licet expressè adjiciatur, ut repetere liceat *l. 2, b. t.* accidens enim non potest mutare naturum & causam obligationis, quæ est quasi contractus. *Meier. in Colleg. Argent. b. t. th. 2. Jung. Köppen Lib. 2, Decis. 63, n. 1, & seqq.*

CAP. V.

De

PERSONIS, QUIBUS DATUR CONDUCTIO INDEBITI.

§. I.

Circa personam solventem cui datur, hæc conductio notandum est, quod

quod etiam detur ejus heredi, exemplo actionum rei persecutoriarum Salycet *ad L. 12, ff, b.t.* Brunneman *ad L. 1. C. de Condict, indeb:* & quidem contra eum qui accepit ejusque heredem, de quibus in cap. sequenti. De actionibus autem quæ ex contractu & quasi contractu veniunt, inter quas, nostram indebiti conditionem ob antea dicta referimus, ob meliorem intellectum in antecessum hæc observanda est regula: quod actiones ex contractu descendentes regulariter & activè & passivè in successores transeant *per l. 12, § 1, 39, ff, de O. & A. §, 1, J. de perpet: & temp: act:* quæ regula vera est & procedit non tantum in actionibus, quæ ex veris, sed etiam quæ ex quasi contractibus perveniunt *d. l. 39, ff, de O. & A.* ita heredes non tantum & agere & conveniri possunt actione negotiorum gestorum *l. 3. §, 7, ff, de negot: gest: l. 6, l. 7, C eod:* sed etiam conditione indebiti *l. 12, ff, b. t.* quod verum est etiam si ipsi contractus personales & morte contrahentium extincti fuerint, tamen actiones quæ ex illis jam natæ sunt, in heredes transeunt: Nec interest, etiam si in contractu nulla heredum facta fuerit mentio *l. 9, ff, de probat: Carpzov: part: 2, const: 20, def: 1, n. 1.* nec impeditur transitio harum actionem per particulam taxativam contrahentis personæ adjectam. *Tiraquell: de retract: convent: §, 1. gl. 2, n. 12, l. 8: §, 4, ff, de pign: act: Carpzov: d. loc, def: 2.* ubi Scabinos Lipsienses, ita pronunciasse testatur: **Ob nun gleich in der Bürgen Verschreibung / die Bürgen allein sich verpflichtet / und der Erben ausdrücklich nicht gedacht worden: So seyn doch gleichwol die Erben nichts desto weniger in Bürgschaffe zur Zahlung verbunden.**

§ 2. Limitationem vero prædicta regula patitur primo, si aliud inter partes fuerit conventum, ne scilicet actiones in heredes & similes successores transeant, tunc enim actiones ipso jure quidem in heredes transeunt, verum sine effectu, eliduntur enim exceptione pacti, quod heredibus conventis competit, agentibus vero obstat *l. 56, §, 4. ff, de V. O. §, 3. J. eod: l. 44, §, 1. de O. & A.* quomodo etiam ea accipienda sunt quæ tradit *Carpzov: d. part: 2, const: 20. def: 2, n. 1.* Deinde limitatur ista regula ratione objecti, quod personalibus actionibus petitur, si nimirum illud tale sit, quod à debitoris heredibus præstari, aut in heredes creditoris transire non possit. Tertiam exceptionem Imperator noster *in §, 1. J. de perpet: & temp: act:* indicat in
verbis

verbis: aliquando tamen etiam ex contractu actio contra heredem non competit, uti cum testator dolose versatus sit, & ad heredem ejus nihil ex eo dolo pervenit, ubi tamen hoc loco illæ excipiendæ sunt actiones, quæ quidem ex contractu perveniunt, sed ob occurrens delictum ex parte pœnales habentur, eo quod factum puniunt, & in dolum conceptæ sunt, quod etiam confirmant verba *d.l.7, §, 1, ff, depos.* quanquam enim &c. quibus præmissis, melius, uti puto, contra quem & cui non detur hæc condictio indebiti intelligi poterit.

§. 3. Aliquandò verò quod notandum venit, hæc condictio indebiti etiam ei datur, cujus interest solutum non esse licet ipse non solverit. Vid. *l.61, b.t. junct: l.6, §, 1, de reb. aut. judic. poss: l.9, §, 1, ad SCt. macedon.* vel etiam non suo nomine solverit *l.fin: §, 1, b.t. l.6. pr: l.57, §, 1, b.t. l.8, C. eod: § l.47, pr. Clud. d. loc: c.5, n. 69. § seq:* Ut verò solventi competat hæc condictio duo requiruntur, primò & indebitum solverit: Est vero indebitum, quod (1.) omninò non debetur, aut propter aliquam exceptionem perpetuam peti nequit *l.26, §, 3, l.40, b.t.* (2.) quandò debetur neque exceptione perpetua elidi potest, attamen aliqua quædam obstat exceptio *l.10, l.17, b.t.* secundo, ut per errorem solverit *l.1, §, 1, ff, b.t.* indebitum enim scienter solutum repeti nequit *l.50, de solut. l.1, §, 1, l.24, § l.26, §. 5, ff, b.t. l.9, C. eod.* ratio ejus est in lege cujus per errorem &c: *ff, de R. J.* si modo etiam accipiens non deberi sciat, aliàs enim ignoranti non donatur *l.18, ff, de reb: credit: Tiraquell: in l.8, C. de revoc: donat: n. 342.* Si autem accipiens sciat esse indebitum & forma donationis non fuerit observata adhuc succurritur danti. Brunneman *ad L.9, C. de condict: indeb:*

§. 4. Idem statuendum est de eo, qui sciens sibi perpetuam exceptionem profuturam aliquid, ut liberetur, promisit: condicere enim illam promissionem minimè poterit. *l.24, l.26, ff, b.t.* etsi habeat animum repetendi *l.50, ff, b.t.* propositum enim in mente retentum nihil operatur. Ratio diversitatis in eo est, quod ignorans ideò indebitum solvat, quia putat se obstrictum esse solvere, proindè non vult donare, nemo enim in necessitatibus liberalis existit *l.18, in fin. ff, de adim. § transfer. legat.* qui autem solvit, quod se non debere novit, is donasse intelligitur & proindè illud repetere nequit *l.1, §, 1, ff, b.t. l.29, in pr. eod: l.7, §, 2, in fin: pro empt. l.47. de oper. libert. l.53. § l.82, ff, de R. J. August: Barbof, in Collectan. ad Cod L.8, de condict. indeb. n. 2. §*

L. 9, n. 2. hinc illa regula: cuius per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio esse solet l. 53, ff, de R. J. Cujac. ad paratit: C. b. t. & ad African: explicat: l. 38, §, 1, b. in fin: donatio autem semel facta revocari nequit, nisi ex certis causis t. t. C de revoc. donat. Richter part. 2, Decis: 96, n. 135. & hoc maximè procedit quando dominus pretium consulto & non scienter indebitum solvit, si nempe nulla alia conjectura extat, ex qua alius donandi animus colligi potest l. 53. de R. J. in dubio enim donare suumque jactare nemo præsumitur l. 25, in pr. ff. de probat: cap: suger hoc X. de rununc: Richter d. part. 2. Decis: 96, n. 136. hinc si alia etiam levis conjectura adest, potius error quam donatio præsumitur. Bald. in l. 1. C. ad Sct. Trebell Gloss: in l. generaliter in verbo causa C. de non num: pecun: Jam verò, quod per errorem datum est, repeti potest d. l. 53. Richter licat. loc: n. 137. cum natura æquum sit, neminem eum alterius detrimento & injuria fieri locupletiozem l. 206, ff, de R. J. Sciendum itaque, quod in repetendo indebito soluto semper actor libello debeat inferere, se errore solvisse, vel aliquid tale, ex quo error deprehendatur, ne scilicet possit præsumi donatio, per l. 53, ff, de R. J. Sichard. ad Rubric. C. b. t. n. 12. Germanicè aus einem Wahn und Irthum. Schneidew. ad §, 1, I. quib: mod: re contr: obligat: n. 12. Libellus verò hujus actionis casu obviente, ita formari & concipi potest.

FORMA LIBELLI.

Vor denen N. N. erscheinet N. N. bedinget ihm alle competirende Rechtswolthaten und saget fürklichen: Ob wol die natürliche Billigkeit erfodert/ daß ein jeder das jenige/ welches ihm aus einem Irthum bezahlet wird/ wieder gelten und erlegen soll/ N. N. auch in einer gehaltenen Rechnung 1000. Thaler zu viel aus einem Wahn und Irthum gegeben und bezahlet/wie er denn solche übermasse von Klägern empfangen und eingenommen: Weil er aber von demselbigen in der gütche/ ungeachtet vielfältig/ freundlichen/ so schrifft als mündlich beschehenen ansuchens anders nichts/ denn eine schimpff und abschlägliche Antwort erhalten. Als hat er Noth getrungen/ daß in diesen Fall ihme competirende rechtliche Mittel

Mittel ergreifen/ und aniko wieder ihm intentiren müssen/ demüthigst bittende: Sie geruhen gedachten Beflagten ex officino dahin zu halten/ daß er die libellirte 1000. Thaler so ihm aus einen Irthum und Indebitè bezahlet / nebenst dem Gerichtskosten Klägern wiederumb zu restituiren schuldig sey/ cum imploratione consultâ.

§. 5. Quid auctem reus circa hanc actionem peremptoriè excipere possit infra *cap: ult:* per aliquot casus tractatur. Hæc verò antea prolata tunc vera sunt, etiamsi accipiens nihil deberi sciat, alias enim dissensus donationem impedit, quia in donatione mutuus consensus requiritur *l. 55, de O. & A.* & donatio non fit nisi scienti *l. 19, §. 2. de donat.* vel etiam, si non alia quam donationis præsumptio haberi possit, nam quævis causa licet fatua donationem excludit *arg: l. 25. pr. de probat. Wensensb. ad ff, de donat: n. 4.* Clud. *d. loc: c. 1, n. 8. & c. 4. n. 62. & seqq.* Et hæc etiamsi quis sciens promittit obtinent *l. 24, l. 62, h. t.* quia ille Condiictioni videtur renunciare, neque enim tantum condicção hæc locum habet, ubi quid solutum, verum etiam ubi promissum est. *l. 31, h. t. l. 2, l. 3, C. eod.* Cujus rei effectus est, ut is, cui indebitè promissum, debitorem per acceptilationem liberet, eique chirographum reddat si fortè aliquod datum sit *d. l. 3, C. h. t.* undè etiam acceptilatio condici dicitur *l. 15, C. de fideic.* Condiicirur autem regulariter res incorporalis; indebitum verò promissum condicçãoe certi, res enim incorporalis aliâ quam incerti condicçãoe repeti nequit, cum illa pro re incertâ habeatur, adeoque condicçãoe certi tantum repeti poterit Clud: *d. c. j. n. 105.* Cæterum competit porrò in hoc casu indebiti promissi, exceptio doli *d. l. 3, C. h. t.* cui enim damus actionem, eidem multò magis exceptionem competere dicendum est *l. 1, §. 4. de superf. l. 156, §. 1, de R. J.*

§. 6. Ostendi suprâ, quod condicção indebiti competat ei, qui ex errore cum putat debitum esse solvit. Jam primò itaque videndum erit, An etiam illi condicção hæc indebiti competat, qui dubitandi animo solvit? & diversas fuisse de hæc quaestione veterum Jurorum sententias docet *l. ult: C. h. t.* quas Imperator Justinianus eâ lege sustulit, nec tali repetitionem denegandam sancivit, nisi adsit transactio *l. ult: C. h. t.* Vid. Giphân. *ad L. 1. & 2. C. h. t. in fin. primò.* quia dubitatio ignorantiam imitatur *l. fin: C. h. t.* &

quamvis dubitans neque sciat neque omninò ignoret, sed victo fit similis adeoque secundum philosophos medium teneat inter scientem & ignorantem, eum tamen ad ignorantiam potius accedere Justinianus noster putavit, propterea, quod qui dubitat, rem ipsam ignoret, unde & ignorantia & dubitatio æquiparantur. *in l. 1, pr. de legat: 3.* quod enim Ulpianus de ignorante ibidem affirmavit, idem quoque de dubitante confirmat. & *in l. 15, qui testam. fac. poss:* dubitantes & ignorantes conjunguntur, jam verò *in l. 14, eod. tit.* ignorans comperatur incerto sive dubitanti, Secundò, quia dubitans nemo præsumitur donare *l. 10. C. de donat.* ergò etiam repetere potest. *Vid. Strauch, ad 50. Decision. justiniani ad d. l. fin. C. de condict. indeb.*

§. 7. Secundò quæri solet, An renuncianti etiam condictio indebiti competat? circa quam quæstionem non errabo, si cum Cardinal. Tuschio *Tom: 5, Pract: Concl: 167.* & aliis circa renunciationem generalem & specialem distinguam: aut enim renunciatio intercessit generalis, veluti nullam amplius superesse controversiam, vel aliquem nolle ullo beneficio juris uti, qualis habetur *in l. ult: §, 3, ff, b. t.* quæ condictioni haud obstat. *Paul. de Castro ad d. l. ult: §, 3, b. t.* etiamsi pactum de non petendo adjectum sit *l. fin. §, pen: b. t.* vel etiamsi quis se nullo modo durchaus nicht / contravenire promiserit, intelligitur enim facta promissio, salvo jure erroris Berlich *part: 2, Decis: 263, n. 26. cum seq.* & generalia non extenduntur ad eâ, de quibus non est cogitatum *l. 35, ff, de pact.* sed restringenda sunt ad voluntatem ipsius renunciantis Menoch. *Consil. 684, n. 15.* præsertim cum renunciationes strictissimè sint accipiendæ, quod non verisimile sit aliquem renunciasse isti, de quo non cogitavit *l. 5, §, 9. de transact. l. 19, §. caterum ff: de inoff: testam:* Ideò verba illa, quæ apponunt Notarii in instrumentis, scilicet renunciavit condictioni indebiti, condictioni sine causa, actioni in factum, nullum faciunt præjudicium erranti, nec tollunt condictionem indebiti. *Bart. in d. l. ult: §. quæsitum est. ff, b. t. n. 1, in fin. & n. 2.* illa enim generalitas renunciantem primò non obligat in his, de quibus tempore renunciationis non fuit cogitatum *l. 35, ff, de pact.* Mascard. *de probat. Conclus: 1264.* Gail: *Lib: 2, Ocserv. 77,* secundò quia non sufficit proponere aliquid, vel exprimere in genere, quandò quælibet species contenta sub genere, non operatur illum effectum, ad quem exprimitur vel proponitur.
Richter

Richter *part. 2. Decis: 99, n. 92. tertio, per text: in l. 4, §, 4, ff, si quis
saut: in judic: quarto, quia non omnes Notarii effectum renuncia-
tionis intelligunt, & clausulam hanc generalem magis ex consuetudine,
quam modica deliberatione instrumentis inserunt. Tiraquell: in L. 8.
n. 126. C. de revoc: donat: Richter *part: 2, Decis: 63, n. 22. Gail: Lib: 2.
Observ: 77, n. 6. ideoque illorum imperitia non debet esse partibus
præjudicialis Bald: in l. fin: n. 3, C. de fidejuss: Hinc est, quod si ipsi in
contractibus rusticorum, vel mulierum adjiciant clausulas, quas verifi-
militer non intelligunt, parti læsæ ad damnum & interesse teneantur.
Vid: Gail: Lib: 2, Observ: 77. quia aliàs regulariter damno ex eorum cul-
pa & imperitiâ factò parti læsæ ad interesse tenentur, illudq; resarcire co-
guntur l. 14, §, 3, C. de S S. Eccles. & Const: Maxim. 1. de Notar: in Re-
cess: Imper: Colon: de Anno 1512. §, fin: ibi. Damit ihre Unwissenheit
und Schuld andern zu Schaden nicht gereiche. Jung. Mascard. de
probat. Vol: 2, Concl: 1099, n. 22. Berlich. p. 1, C. 8, n. 37. Nec obstat
anteà dictis, quod nulla clausula, imò nullum verbum debeat intelligi
absque virtute aliquid operandi secundum Jason *ad l. 2, ff, de fluminib:
n. 124.* Notandum enim est, quod oratio sive scriptura & ita etiam re-
nunciatio generalis eandem vim atque energiam habeat in genere,
quam specialis in specie. Aut verò intercessit renunciatio specialis ad
hanc conditionem directa: Da er reuunciret allen seinen Rechten /
und absonderlich dem beneficio conditionis indebiti &c. si nempe
solvens renunciavit conditioni indebiti, conditioni sine causa &c.
& ita ex verbis renunciationis donandi animus expresse est declaratus,
hinc etiam propter regulam vulgarem, quâ unusquisque favori, seu ju-
ri pro se introducto renunciare posse dicitur l. 29, C. de pact: l. pen. C.
eod: l. 14, §, pen: ff, de edil: edict. l. 51, C. de episc. & cleric: renun-
cians pro sciente habetur. Jason *in d. l. ult: b. t. in fin: Richter part. 2,
Decis: 99, n. 89, & seq. Diss: Cavarruv: Lib. 2, var. resolut. cap. 4, n. 4.
& Clud. d. loc: c. 5, n. 15.* per regulam illam generalem, quod quilibet
favori pro se introducto possit renunciare, quam omnibus in casibus
fancivit Imperator *in l. 51, C. de episc. & cleric.* rationem consequentiæ
ponunt in prægnantissima juris & æquitatis ratione, quæ non patitur,
ut eâ, quæ salubritèr pro utilitate hominum introducta sunt, contra ipso-
rum commodum producantur l. 22, ff, de legib. §, 42, vers. nihil enim
j. de R, D, l. 21, C. mandat. Verum quemlibet posse renunciare fa-
vori**

vori posse introducto concedo, si nempe non errat, hoc loco verò errans renunciat & non consentit, jam verò notum est, secundum *l. 19, vers. ceterum si quis ff, de inoffic. testam. l. 6, §, 8, ff. quæ in fraud: credit:* quod juri ignoto nemo renunciare possit. Arnold. *de Reyg: in thes: jur: vocabulo renunciatio n. 98.* Gail: *Lib: 2, Observ. 77, n. 8.* ergo in renunciatione speciali ipsi hoc remedium competere manifestum est.

§. 8. Idem quoque dicendum est, quando quis omni legum auxilio sive omnibus beneficiis jure competentibus generaliter saltem & indefinite renunciavit, daß er sich nemlich aller rechtlichen Wohlthaten verziehen haben wolle/ adhuc enim ipsi conditionem indebiti competere dicendum est, licet Rolandus à Valle *Vol: j. Consil. 13, teste Gothofred, in not. ad. l. ult. C. quand. mul. tut. offic. fung. poss.* dicat, per talem clausulam multis remediis & beneficiis renunciatum esse, meritò tamen conditio indebiti locum habebit, cum talis renunciatio nimis sit generalis & vaga atque incerta. Colerus *de Process: Execut. p. 1, C. 10, n. 395.* Jung. Köppen Senior *part. 1, Decis. 53, n. 2, & seq.*

§. 9. Tertio loco non prætereunda est agitata illa & in foro læpius occurrens controversia, quando nempe aliquis receptâ syngraphâ, sive ut vocant quietantia creditori suo debitum totum restituit, quietationem autem illam postea vel amisit, vel se habere nescivit, & de novo iterùm à creditore suo conventus & condemnatus solvit: an receptâ deinde quietatione, id quod solverit repetere possit? Cum autem vulgaris & in praxi hætenùs recepta sit sententia, illum posse per conditionem sine causa repetere, ideò & nos illam approbamus per text: *in l. 5, §, 7. in fin. ff, de donat. int. vir & uxor. Bart. in l. si sine ff, rem rat. haber. n. 1, & seq.* Bald. *in l. 2, ff, de condict, sine causa n. 1, & seq.* per repertam enim illam quietationem reducitur sententia ad non causam, cum ea lata fuit ex instrumento, quod nullum & per solutionem factam cassatum fuit, ut in Academia Wittebergensi Petro Meinaden/ Anno 1616. prout ex sequentibus apparet responsum fuit: *Habt ihr euren gewesenem Creditori S. R. die 180. Gulden damit ihr ihm verschafft gewesen/ einmahl vor 8. Jahren bezahlet/ und eine Quittung deßwegen von ihm genommen/ welche ihr aber verleat: Dahero ihr von gedachten S. R. anderweit in Anspruch genommen/ und selbigen zu bezahlen durch Hülffszwang angehal-*

gehalten worden / woforne nun eurem Vorgeben nach / sich
also verhält und ihr die Quittung über allen angewendeten
Fleiß nicht finden können: So wehret ihr die noch einmahl auf-
gezählte 180. Gulden nebenst den Zinsen von ihm wieder zu
foderen befugt. *B. N. W.* Notandum verò, quod quando
heredis prædecessori fuit solutum, quia ipse tunc non est in mora, suc-
curatur debitori per restitutionem in integrum ex clausula illa generali,
si qua mihi iusta causa videbitur. *l. 1, §, ult: ff. ex quib. caus.
major.*

§. 10. Quibus quæstionibus expositis, incidenter factam pro-
pter affinitatem hic resolvendæ erunt adhuc aliæ. Quartò itaque vi-
dendum erit, an quod ob factum contractum gabellæ nomine solutum
est, rescisso postea contractu emptionis venditionis ob conditionem
non impletam, quasi indebite solutum à fisco repeti possit? quod ne-
go fisco enim jus semel quæsitum auferri nequit *l. 11, de R. J.* licet
aliàs vectigalis, sive gabellæ solutio emptori regulariter incumbat *l. 27,
ff. adiff. de edict.* Ambiguum tamen magis est, si tributarii fortè ex-
censu minus æquo, vel etiam aliàs plus justo tributi nomine, vel igno-
rantes vel coactè exsolverint, utrum & quomodò illis subveniri possit
ac debeat? In quo casu, si plures fortè pro indiviso territorium ali-
quod vel etiam prædia aliaque similia bona possident, & ab uno aliquo
munus hoc fuit exactum, id quod tali casu à possessore domus gentilitiæ
des Stammhauses / etiam fieri iubetur *Recess. Imp. de Anno 1576, §.
ben Berathschlagung / eum à consortibus partes viriles posse reposcere
per d. §, § 1. 5, pr. de censib.* minus habet dubii. Nullum vero du-
bium est, quin pro avertendo communi damno, repetitio secundum
proportionem locum habeat, Ita condici sive repeti possunt res ab iis,
quæ quis per damnum ex *L. Rhodia* amisit, ratio enim contributio-
nis *L. Rhodiæ* est, ut damnum, quod omnium causa quis sustinuit,
ab omnibus pro rata restituatur. *Quintin. Weitz. in tract. de Ava-
ria §. nun ist de Questie Loccen. de jure maritim. lib. 2, cap. 8.* Quæ
æqualitas *L. Rhodiæ* non solum in maritimis, verum etiam in quibusvis
aliis negotiis locum invenit. Sic vulgo tradi solet de incendio: ut si
domus diruta reliquarum conservandarum gratia, damnum resarciatur ab
iis, ad quos verisimiliter ignis pervenire potuit, quamvis ad domum
quæ diruta est, non pervenisset. *Gail, Lib. 2, Obser, 22.* idem & in his,
qui

qui sumptus inhospitationis evitantes, quos ferre poterant, quando-
quē ex oppidis aut pagis aufugiunt, illis qui ibi manent solis onera fe-
tentibus: aut si quis exgr. damnum vigiliarum alias, *corps de garde*,
solus ut nonnunquam fit, exhibere cogitur, vel aliud solvit aut præstat,
statuendum est. *Vid. David: Mev: ad. Jus Lubec. t. 2, art. 2, n. 71,*
& seq. Calpar Klock de Contribut. c. 17, n. 286. & seqq. Quin & de
iis, qui tempore belli propter injustam taxationem bonorum minores
quam debebant vel nullas, cum tamen exempti non essent, collectas
solverunt, aut prædia sua pro salute totius civitatis dirui passi sunt,
idem dicendum erit. Jung. Modest. Pistor. I. Consil. 16.

§. II. Quinto quæritur, An si uni vel alteri ex Creditoribus an-
tequam reliqui jura sua deduxerunt, vel etiam sententia de prioritate
illorum publicata sit, per gratificationem aliquid fuerit solutum pe-
cunia exsoluta ab aliis Creditoribus possit condici & tanquam indebi-
ta repeti? quod affirmo per textum expressum *in 24, ff, quæ in fraud.*
credit. ubi id quod non justè exactum vel per gratificationem aut ex-
tersionem solutum fuit, revocari potest, jam verò id, quod ab alio quam
cui debetur exigitur solvitur, justè exigitur, & quod alii, quam cui debe-
tur solvitur, per extorsionem vel gratificationem exsolutum putatur.
per text. in 5, §, fin. cum l. seq. de tribut. act. ideoque qualiscunque
gratificatio in fraudem & detrimentum creditorum facta fuit, illa legi-
timè ab ipsis revocari potest *l. 3, ff, quod cum eo qui in alien. pot. l. 52,*
§. ult: ff, de pecul. l. 18. §, ult. ff, de jur. fisc. Hartman. Pistor. *part. 3,*
quest. 20. n. 11. & 19. Et hanc communem sententiam non solum Jctos
Wittebergenses in causa Hallebusch contra die Krämerische/ sed etiam
Scabinos Lipsienses & Collegium juridicum Francofurtensium olim
pronunciando approbasse, eamque textibus & rationibus juris majo-
rique suffragantium numero munitam & in provincia Electorali Saxo-
nica antiquâ praxi comprobatum esse refert Andr. Rauchbar *part. 2,*
quest. 9, n. 12. Idem quoquo de debite obærato, qui proprio nomi-
ne solvit dicendum est, cum uni creditorum præ reliquis gratificare
non possit *d. l. 24. vers. quid ergo ff, quæ in fraud. creditor.* Quod
tamen limitandum esse puto, si debitoris bona ad solutionum sufficiant,
& creditoribus magis privilegiatis ex iis satis fieri possit, revocatoria
enim tantum datur extra ordinem in subsidium ex justa causa, quando
scilicet ex reliquis bonis debitoris fiscus, vel creditor antiquior suum
consequi nequit *l. 6. §. quid ergo & ibi Bart. in fin. de bon. aut judic.*
poss.

poss: Menoch. *Lib. 1. Conf. 25. n. 10.* Richter *de privileg. creditor. cap. 1, n. 26.* qui ita in Facultate juridica Jenensi Anno 1638 ad requisitionem Prætoris Hallensis pronunciatum fuisse testatur: Ob wol die Creditores sich über Philip Schaden/ daß er pendente lite & concursu seiner 500. Thaler mit Tüchern contentiret worden/ beschweret und unterschiedliche Befehle wider ihm de restituen- do außgebracht: So ist er doch woferne die ihm vorgehende gläubiger bezahlet werden können/darbey nicht unbillig zu lassen. Notandum tamen est, quod creditor non prohibeatur accipere, quod ipsi pontè, id est, sine animo decipiendi à debitore obærato ante bonorum suorum possessionem offertur jus enim civile vigilantibus, inquit, scriptum *Jctus in d. l. 24.* ideoque nec condici sive revo- cari debet quicquid hâc ratione percepit creditor, etiamsi jam dum debitum suum recepit, bona debitoris solvendo non esse noverit. *l. 6, §. 7, ff. quæ in fraud. Credit.* quia sine fraude quod sibi debetur recipiendo nemini injuriam fecisse videri potest.

§. 12. Sextò dubium occurrit circa pactum antichreseos, an scilicet fructus sive redditus qui quotannis in pignore loco pecuniæ cre- ditæ legitimum modum usurarum excedunt, possint repeti? Et re- spondetur, si certi sint & excessus sit immodicus, quod tunc possint re- peti sive lorti debeant imputari per *l. 17, C. de usur.* *Vid. Carpzov. part. 2. Const. 30. def. 40. Köppen part. 1. Decision. 22. Scheffer part. 2. quest. 22. Rauchbar part. 1, quest. 20.* Idem quoque de Sa- linis von den Salzfällen/ quæ ita conceduntur alteri, ut earum redditus creditori usurarum loco cedant, vulgò umb die außläuffte quemadmo- dum Hallæ & aliis locis fit dicendum est, cum talis conventio inter de- bitorem & creditorem hoc modo inita antichresin pariat & proventus isti salinares non uniformes sint, sed singulis ferè annis varient, dum uno anno tenues, altero uberiores resultant.

§. 13. Quod verò debitor à Creditore, qui prævia executione in bona ipsius judicialiter immissus est, fructus perceptos quotannis con- dicere & rationes de illis postulare possit, nullum est dubium, cum per talem immissionem nullum jus domini creditor consequatur. *Carpzov. part. 1. Const. 32. def. 28. & Caspar Klock Tom. 3, Consil. 148, n. 33, & Conf. 169. n. 1. & seq.* Quamvis etiam simplici eorum assertioni stare promiserint debitores, non eo minus tamen ad rationum redditionem

C

adstri-

adstricti sunt creditores; Nec repugnat, quod debitor favori suo bene renunciare possit *l. 29. C. de pact.* cum hæc renunciatio sit contra bonos mores, & præbeat occasionem delinquendi, quo casu nulla pactio, vel renunciatio, valida est *per l. 15. ff. de pact. dot. Coler. de Process. Execut. part. 1. C. 10. n. 152.*

§. 14. Septimo quæritur, An condictio liberationis illi competat, qui per errorem calculi, quantitatem indebitam, ut debitam promisit? quod affirmo, licet enim aliàs semel ritè reddita ratione neque probatio, aliquo calculi errore quamvis allegetur læsio ultra dimidium, ejus quod revera debebatur, non retractentur quæ semel gesta sunt. *Petr. Heig. part. 1. quæst. 20. n. 44. Dec. Conf. 110, n. 9. vers.* non omitto, cum alioqui nullus calculationum nec computationum finis inveniri possit *arg. l. 2, C. de re judic.* præcipuè verò quando à partibus ipsis, calculatæ rationes approbatæ fuerunt, quia tunc semel approbatum, amplius improbari & actum iterum agi non potest. *l. 9. ubi Gloss. verbo semel ff. de negot. gest.* Hisce tamen cessantibus calculi error allegari potest, & condictio liberationis illi competit, qui per errorem calculi quantitatem uti dictum fuit, indebitam, ut debitam promisit. *d. l. unic. C. de error. calc.* quoties enim in redditione rationum errore aliquid, vel comprehensum vel prætermisum est, tunc ad calculandum demò veniri potest, quod ipsum non solum ex sanctæ veritatis fonte promanat, quæ pura ubique servanda, & erroribus gestorum nullo modo propellenda est *l. 6, §. 1. ff. de offic. pres.* sed etiam ex principiis æqui & justii dependet, quibus errorem calculi, sive ex uno contractu, sive ex pluribus emergentem veritati non offerre præjudicium constitutum est. *d. l. unic. C. de error. calcul. & Richter ad eand. Munoz de Escobar de ratiocin. admin. c. 41, n. 33.*

§. 15. Cum autem secundum §. 2. cap. 1. condictio indebiti sub generali significatione, Condictioem furtivam sub se complectatur, idè octavo quæritur, An etiam verus dominus rem emptam ab emptore, qui vitium rei emptæ, vel etiam furtivam esse ignoravit, absque refusione pretii condicere sive repetere possit? quod affirmo cum *Berlich. p. 5. Conclus. 45, n. 17:* Et hoc in casu emptori ignorantiam alleganti, non statim credi solet, sed scientia potius, in eo imprimis, qui malæ famæ est, vel clam, vel parvo pretio, vel sæpè etiam hujusmodi res emit, præsumitur. *Richter part. 2. Decis. 96, n. 8, & 9.*
Ideoque

Ideoque, ut talis emptor se à pœna judicis arbitraria liberare possit, ignorantiam suam juramento confirmare necesse habet. Carpzov. *part. 4, Const. 40. def. 8.* Idem de venditore, qui licet ignorans emptori rem vitiosam vendidit dicendum est, cum ad restitutionem pretii nihilominus teneatur *l. 1. §. 2. ff. de edil. edit. Vid. Coler. part. 2. Decis. 228. n. 4.*

CAP. VI.

De

PERSONIS, CONTRA QUAS COMPETIT HÆC CONDICTIO.

§. 1.

Consideratâ capite præcedenti personâ solvente, sive quibus competit hæc condictio indebiti, sequitur jam ut de personâ cui solutio facta est, sive contra quem competat agamus. Et competit contra eum, qui ipse indebitum accepit *l. 49, h. t. l. 8. l. 1, C. eod. l. 6, §. 1, 2. h. t. Vid. Clud. d. loc. C. 5, & 6. n. 83.* ejusque heredem, *l. 26. §. 11. h. t.* exemplo actionum rei persecutoriarum *l. 12, ff. h. t.* de quibus superiori capite §. 1, & 2. actum fuit. Item cum secundum ejus voluntatem alius accepit. *l. 57, §. 1, b. l. 2. C. eod. tit.* Transitionis enim actionum effectus est, ut successores æque ac illi, quibus successerunt translatis actionibus agere & conveniri possint, adeò, ut licet lis jam cœpta, ipsæque actiones in judicium fuerint deductæ. de jure tamen communi nulla litis reassumptio necessaria sit; instantia enim in civilibus causis cœpta, morte litigantium non extinguitur, sed activè & passivè in heredes transit *l. 33, ff. de fidejuss. l. 78, §. pen. ff. ad Sct. Trebell. Carpzov. Lib: 3. Respons: Elect. tit. 2. Respons. 24. n. 1. & seqq.* quod tamen moribus est mutatum, hodiè enim receptum est, ut heredes ad continuationem processus non admittantur, priusquam litem negativè reassumpserint *Carpzov. d. Resp. 24, n. 5. Vid. Gail. Lib: 1. Observ. 109. n. 9.*

§. 2. Et generaliter omnis tenetur conductione indebiti, qui aliàs se obligare non prohibetur, unde merito excipitur pupillus cui sine auctoritate tutoris indebitum datum est. *Schneidew. ad tit. I.*

de aut. tut. v.8. Item furiosus & prodigus, nisi inde locupletior factus sit. §. 1. j. quib. mod. re contr. Oblig. l. 5. §. 3. ff, de O. & A. l. 43. ff, de solut. Clud. cit. c. 6. n. 11, & 45. natura enim æquum esse, ut nemo cum alterius damnolocupletior fiat, supra dictum fuit per l. 14. b. t.

CAP. VII.

AN ERROR JURIS ET FACTI IN CONDICTIONE INDEBITI LOCUM HABEAT.

§. I.

ERRORE indebitum præstitum esse oportere, ut conditio indebiti locum habeat jam constat *Jung. Richter in Comment. ad Reg. jur. Reg. 26, n. 13.* Cum autem duplex sit error, juris unus, alter facti. t. t. ff, & C. de jur. & fact. ign. hinc jam an uterque ad condicendum proffit, valdè Dd. controvertunt. Et prodesse solum errorem facti non verò errorem sive ignorantiam juris regulariter plerique ex neotericis rectè affirmant: ut enim repetitioni dati locus sit, necesse est, ut vel error interveniat, vel ignorantia. l. 1, ff, b. t. & quidem talis, per quam excluditur consilium, propositum & voluntas donandi vel repetendi, talis autem error in facto & non in jure consistit, meritò igitur inter errorem juris & facti erit distinguendum, error enim juris vix ignorantia dicenda est, quia paria sunt, scire vel scire debere l. 5, ff, de R. C. jus autem omnes scire debent, factum enim prudentissimos fallit l. 2, de jur. & fact. ignor. l. 9. C. ad L. Falcid. *Vid. Carpzov. part. 2. Const. 28. def. 20, n. 4.* & qui ipse illud jus non didicit, peritiores consulere debet l. 3, §. ult. quis ordo in poss. serv. hinc jus ignorantibus pro consentientibus habentur & ignorantibus opponuntur l. 9, §. 5. vers. quod si ideò ff, de jur. & fact. ign. Errore igitur facti indebitum solutum tantum repetitur, primò per l. 10. C. de jur. & fact. ign. l. 9. C. ad L. Falcid. l. 2, C. si advers. solut, ubi minori pro singulari privilegio conceditur. Secundò argumento omnium fermè legum, quibus expressè mentio erroris juris fit. l. 6, C. de jur. & fact. ign. l. 8, ff, eod. tit. undè qui ex nudo pacto obligatus est, si credens secum agi posse, & sic in jure errans solvat, non repetit, quia licet civiliter & directâ actione conveniri aut cogi non possit ut solvat, superest

est tamen ratio naturalis sive æquitas quæ conditionem impedit *l. 32, §. 2, b.t.* sic qui putat secum ex testamento minus solenni agi posse, cum tamen erret in jure, si solvat, non repetit. *Bart. ad l. 10, C. de jur. & fact. ign. Socin. Consil. 79. n. 41. & 42. Vol. 4.* quia sublata causa solennium testamenti, remanet defuncti voluntas & causa naturalis impellens ad solutionem ejus, quod naturaliter debitum. Quam sententiam licet plerique *Dd.* sequantur, *Vid. Salycet. & Bart. ad d. l. 10. C. de jur. & fact. ign.* tamen hæc omnia procedunt tantum regulariter, cum aliquandò concedatur repetitio, quando nulla scilicet sub fuit debendi causa. *Vid. §. seq. & §. 6. cap. 11. Struve in Syntag. juris. Exercit. 18. tb. 37 40.*

§. 2. Dictum fuit, quod ad condicendum pro fit solummodò error facti & quidem regulariter; cum autem aliquandò ex singulari æquitate propter juris errorem concedatur repetitio, ideò in antecessum circa quæstionem illã, An scilicet juris error (de errore enim facti planum est) etiam pariat indebiti conditionem nec ne, distinguendum hoc loco erit; Aut enim in debito soluto, nullum planè subest debitum, neque naturale neque civile, & hic perinde ut in errore facti solutum repetitur *l. 26, pr. l. 7. de condit. caus: dat: l. 7. & 8. ff. de jur: & fact: ignor: Richter part. 2. decis: 96, n. 140. Virgil: Pringitz: Quæst: illustr: 49, n. 11.* Aut verò subest debitum, sed non efficax, cujus nimirum efficacia perimi potest exceptione, & ex hoc debito existimans errore juris se præcisè obligari, cum tamen tutus sit exceptione qui solvit, illi denegatur conditio *l. 10, C. de jur. & fact. ign. l. 40, de condit. indeb: l. 68, §. 1. ad SCt. Treb. l. ult. ad SCt. Macedon. Jung: August: Barbos: in Collectan. ad Cod. L. 6. de condit. indeb: n. 6. Arnold: Vinn: Lib: 1, sel. jur: quæst: q. 47. Jung. infra cap: 11, §. 4. & ita ob errorem juris conceditur repetitio, si nempe primo planè nulla subfit debendi causa, sic si quis ita in jure errat, ut existimet se debere, cum tamen nullo modo ne naturaliter quidem debeat, & ex tali errore juris solvat, dabitur ipsi conditio. *per d. l. 7, & 8, ff. de jur. & fact: ign: l. 59, b.t. l. 1, pr. ut in poss: legat: l. pen: l. 1, l. 14, l. 26, pr. §. 1, 2, b.t. secundo* quandò jus civile ignorantibus veniam dat, de quibus in cap: sequenti. Atque ita conditionem ex errore juris solutam post Bartolum & Baldum admittunt *Carpzov: part: 2, Const: 28, def: 20, & part: 3, Const: 15, def: 42, Richter d. part: 2, Decis: 96, n. 140. Virgil, Pringitz, d. loc: & alii.* Sic divisio errore juris facta non nocet*

cet, quo minus indebitum repeti queat *l. 4, l. 8, ff, de jur. & fact. ign.*
Gail. *Lib. 2, Observ. 48, n. 22.* Welenb. *ad ff, de jur. & fact. ign. n. 4.*
est enim ita qualificata, ut dividentes nihil quicquam, acquirere, sed unus
quisque suam duntaxat partem auferre videatur *Carpzov. d. part. 3,*
Const. 15, def. 42, n. 15. Gail. *Lib. 2, Observ. 139, n. 4.* ergo meritò di-
videntibus & partem suam petentibus non obstante juris errore, erit
succurrendum *d. l. 4, & 8, ff, de jur. & fact. ign.* & ita pronuncia-
runt Scabini Lipsienses in causa Alexii Bergmanns zu Gölis hoc
modo: Ob nun gleich das übrige Kauffgeld unter die noch le-
bende Schwestern und Schwester-Kinder / an stat ihrer Mut-
ter mit den noch lebenden Schwestern zu gelassen werden / die-
weil aber dennoch solches denen landüblichen Sächsischen Rech-
ten zuwider aus Irthum geschehen: So ist denen Schwe-
stern dasjenige was der Schwester-Kinder von obgedachten
Kauffgelde empfangen / wiederumb zu condiciren unbenommen.
Eodem modo in Facultate Juridica Jenensi *Mens: Jung. Anno 1624.*
ad requisitionem Illustris Dn. Henrici IV. Rutheni Dn. in Plauen zu
Döchla / & *Mens: Febr: Anno 1634.* Georgio Mandelii zu Altenburg
responsum fuit, quibus calculum suum Dn. Antecessores in Acad. Julia
in causa Bartholdi. N. Anno 1636. d. 21. Jan. addiderunt. *Diss. Accursius*
ad L. 1, ibiq, Sichard. n. 2. C. de condict. indeb. & Welenb. ad ff, eod.
tit. n. 9. qui simpliciter affirmant ob errorem juris dari conditionem
perinde ut ob errorem facti, & pro hac ipsorum sententia stabiliendâ
adducunt *l. 7. de jur. & fact. ign.* cum tamen sensus illius legis talis
sit: juris ignorantiam non prodesse ad acquirendum, hoc est, juris er-
ror non præbet erranti titulum, quâ possit rem aliquam acquirere, sed
potius illi, qui suum petit non nocet, quo minus licet fortè in jure er-
raverit, errore cognito possit adhuc suum petere, vel etiamsi planè
nullum debitum super fuerit repetere quod præstitit, & ita lex probat
casum nostrum exceptum. *Jung. Schröter in Resolut. Leg: difficill:*
ad L. 1. C. de condict. indeb. Illorum verò sententia, qui putant, nun-
quam dari conditionem ob errorem juris, inter quos est *Clud. d. loc.*
c. 1. n. 14, & seq. admodum captiosa est, dicunt enim, quod condicens
non petat suum sed repetat, id quod amisit, & quod condicens non la-
boret de re amittenda sed amissa; Jam verò si per errorem juris solvens
ita rem suam amitteret, licet nullum planè subsit debitum, ne quidem
natura-

naturale, nullam haberet repetitionem, & tunc utique juris error in damno amittendæ rei suæ isti noceret; neque verò hic de tempore conditionis instituendæ quaritur, sed factæ solutionis, negatque Papinianus, errantem in jure, ubi nullum subest debitum, rem suam amittere, adeoque tali casu repetere potest. *Vid: tit. de jur. & fact. ignor.*

CAP. VIII.

De

PERSONIS QUIBUS JUS CIVILE PROPTER ERROREM JURIS EX SINGULARI JURE REPETITIONEM CONCEDIT.

§. I.

Consideratâ præcedenti Capite primâ causâ, ob quam interdum ex singulari æquitate propter juris errorem repetitio conceditur, sequitur nunc secunda, quandò nempe illi ex errore solvunt, quibus jus civile ignorantibus veniam dat, & illis singulari jure, jus ignorare permissum est, uti primò minoribus viginti quinque annorum *l. 9, pr. ff. de jur. & fact. ign. l. 7, §. 6, de min. l. 2, C. si advers. solut. l. 11, C. de jur. & fact. ign.* ita si indebitum ex errore juris solvunt, tunc conditionem sive repetitionem habent *l. 2, C. si advers. solut. à tut.* cujus ratio sita est in infirmitate consilii, multis captionibus suppositi *l. 1, ff. de minor.* adeò, ut sine tutore vel curatore agentes, nihil scire intelligantur *l. ult. de jur. & fact. ign.* quod tamen limitandum est, quando scilicet minor est Doctor, vel Jctus, tunc enim meritò cessat illa præsumptio & excusatio in tantum, ut licet talis læsus sit ex contractibus, tamen non restituatur in integrum *l. 9, §. 3. ff. d. t.* turpe enim foret Jctum jura ignorare quæ ipse profitetur, aliter verò sese res habet in iis, quæ facti sunt, in quibus restituatur, quia ea quæ facti sunt prudentissimos sæpè fallunt, prout *cap 7, §. 1.* fuit ostensum. *Secundò* fœminis in quibusdam casibus propter sexus imbecillitatem *l. 9, C. ad Sct. Vellej. Vid. Carpzov. part. 2, Const. 15, def. 2, n. 3. per l. 40. b. t.* modò non solverint ob condemnationem in judicio factam, eo siquidem casu propter auctoritatem rei judicatæ repetitio cessat *l. 60, b. t. l. 1, C. ad Sct. Vellej.* item si scientes se auxilio Vellejano tutas nihilominus

hilominus solverint, remedio hoc amplius uti non poterunt *l. 26, §. 3. b. t. l. 30, ad SCt. Vollej. l. 21, §. 1. de inoff. testam.*

§. 2. Tertio militibus, quibus itidem juris ignorantia tam in damnis vitandis, quam lucro captando prodest *l. 9, §. 1. de jur. & fact. ign.* ita licet indebitum errore juris solverint, tamen repetere illud possunt Harpr. *ad §. 1, l. quib. mod. re contr. oblig. n. 73. & seq.* licet etiam exceptiones ob simplicitatem armatae militiae omiserint, tamen denuò illas opponere possunt *l. 1, C. d. tit.* quia arma magis quam jura scire praesumuntur *l. 9, §. 1. ff. de jur. & fact. ign. l. 1, C. eod. tit. l. 22, C. de jur. delib. l. 56, de acquir. heredit. Vid Eneck. in tract. de privileg. milit. passim, aequissimum enim est, imperitiae & ignorantiae eorum veniam dari, qui ob perpetuas minimeque cum rebus civilibus affines occupationes, ob absentiam item à patria, foro & negociis urbanis non aequè jus scire possunt; Nec enim utriusque disciplinae facile capax est animus humanus, maximeque inter se togae & arma differunt Richter *part. 1, Decis. 38, n. 9.* imò reipublicae interest, ne alio studio à militia sua avocentur *l. 13, ff. de re milit.* hinc per occupationes militares, quid leges praecipiant, otium non est cognoscere *l. fin. C. de jur. delib.* nec integrum ipsis consule peritiores, quod etiam procedit, licet juris periti militent, quia nondum omnis cessat ratio; in otiosis verò limitaneis & stationariis militibus cum cesset juris ratio, legem quoque cessare oportet. Coras. *in miscell. p. 2. ad l. 1, C. b. t.* Cum autem privilegium hoc de juris ignorantia loquatur, ideoque jus positivum, non verò naturale intelligi debet: jure enim naturali omnes ligari certum est *§. 2, & 4. l. de adopt. l. pen. C. de legit. hered. l. 47, pr. in verbis: consentimus enim naturae; C. de epis. & cleric. l. 188, §. 1. de R. J.* Idem quoque in iis, quae ad disciplinam militarem ipsamque pertinent militiam, juris positivi ignorantia nullo modo prodest, hæc siquidem scire, omnes milites tenentur *l. 7, §. 13. l. 6, & t. t. ff. de re militar.* Inter milites tamen & foeminas quoad ignorantiam juris differentia est, hæc enim certis tantum casibus, ob juris ignorantiam exculantur, illi verò semper *l. 9, pr. de jur. & fact. ignor.* imò & in lucris milites ut & minores *l. 7, §. ult. de minor.* non verò foeminae *l. 8, de jur. & fact. ignorant.**

§. 3. Quarto rusticis in casibus lege comprehensis, vel ubi æquitas judicem movet, *l. 1, §. ult. de edend. l. 25, §. 1. de probat. l. 2. §. fin. de jur. fisc.* maximè verò quandò urbi non sunt, vicini & Jcti
copiam

copiam habere non possunt *l. 9, §. 3. de jur. & fact. ignor.* Nec obstat *l. 7, & 8, ff, eod. tit.* ubi Paulus Labeonis sententiam corrigit, quibusdam verbis dubiis quando dicit, eam rarò accipiendam esse, quibus verbis distinguere videtur inter lucrum & damnum, ratio enim ut ignorantia juris noceat est, quod possit ignorans peritiores in republica confulere, cum itaque juris ignorans non habeat quem consulat, respondet Labeo à contrario sensu, cum pro excusato haberi. Paulus verò Jctus dicit rarò hoc accipiendum esse propter *ll. præcedentes l. 7, & 8, h. t.* Idcoque Labeonis sententia limitanda est, ut saltem procedat in damno vitando & rebus adhuc amittendis, nam acquirere volentibus & rem semel amissam repetentibus, ignorantia hæc semper nocet, sive adsint peritiores sive non, dictæ enim *ll. 7. & 8.* non distinguunt, ergo nec nostrum est distinguere. Et uti tritum sonat proverbium, sicuti rusticos nemora pro lignis, ita civitates pro consiliis petere possunt. Unde etiam innocens & quieta *l. 3, C. de defens. civib.* vocatur rusticitas, (quæ tamen hodiernis moribus nigro cygno est similima teste Menoch: *de A. I. Q. cas. 149. in pr.*) & æque ac mulier de suis beneficiis certiorandus est rusticus Gail: *Lib. 2. Observ. 77, n. 4.* aliàs iis renunciare non censetur, nisi juraverit, quia tunc contra juratum contractum venire velle, est contra stimulum calcitrare. Anton: Hering. *tract. de Fidejuss. c. 8, n. 110. & seq.*

§. 4. Quod tamen limitandum est, & non excusantur (1.) rustici, si jus civile notorium ignorent, vel ubi lex scripta speciatim illorum meminit, quos utique cum aliis comprehendere voluit ut *l. 7, C. unde vi.* Schneidew: *ad §. 1, l. de vi bon. rapt.* quod etiam in muliere obtinet (2.) in iis, quæ ad rigorem juris conservandum statuta sunt v. gr. si ab emphyteuta tribus statutis pensionis solvendæ temporibus cessatum fuit, locus est legi commissoriæ, à qua restitutio in integrum non datur *Accurs. in l. juris C. qui admitti.* (3.) in his, quæ ad formalem actus substantiam pertinent v. gr. si rusticus in condito testamento non observaverit solennia, testamentum nullum erit, vel quæ ad judiciarij ordinis substantiam pertinent, ut si intra præfixum terminum probationes non produxerit, licet per ignorantiam factum, attamen sibi præjudicat, nisi uti dictum fuit, peritorum consilium obtinere non poterit, quo casu restitutionem in integrum adversus lapsum temporis impetrare potest. Mynsing. *Cent. 6, Observ. 47.* (4.) in delictis pœnalibus, in quibus nulla prætendi potest rusticitatis excusatio. Renat.

D

nat.

nat. Choppin. *de priv. rustic. c. 5. per tot. (5.)* in conventionibus jure gentium institutis, licet in consultâ ipsius facilitate celebratis, quia jus gentium omnibus inoscere, nec ab ullo ignorari debet. Tiraquell. *de retract. convent. §. 4. gloss. 7. vers. 18.* ideoque regula illa, in quâ rusticis jus ignore permissum esse dicitur, de ignorantia juris civilis certo respectu, non verò naturalis intelligenda erit, quia leges naturales non licet ignorare *Vid. Renat. Choppin. d. tract. Lib. 1, c. 1.* ad minimum enim jus naturale scire debent. *Gloss. jur. Saxonie. ad Land-Recht/ art. 79. lib. 3.* unde Menochius hanc extruxit regulam, rusticum nimirum non excusari, nisi in casibus à lege expressis *lib. 2, A. I. Q. quest. 194: Vid. Franc. Curt. ad l. 12, C. de in jus vocand.*

CAP. IX.

De

MATERIA CONDICTIONIS INDEBITI.

§. 1.

Materia condictionis indebiti sunt omnes res indebitè solutæ, tam corporales, & ex his vel genera, ut nummi *l. 15, §. 1. l. 47. l. 49. ff. b. t. homo l. 63. eod.* quæ omnia etsi apud philosophos species sint, apud Jctos tamen pro generibus accipiuntur. *Goedd. ad l. 4, ff. de V. S. vel species, ut certa pecuniæ species, fundus Cornelianus &c.* quam in corporales ut servitus *l. 12. l. 15, §. ult. l. 22, §. 1, ff. b. t. promissio l. 24. l. 31, ff. §. l. 3. C. eod. tit. liberatio l. 5, §. 1, ff. de act. empt. etiam alienæ d. l. 15, §. 1, ff. eod. tit.* nec is, cui res aliena est soluta, potest eam usucapere, quod illam bona fide & justo titulo acquisivit, *l. 15, §. 1. in fin. ff. b. t.* qui enim rem solventis propriam accepit & sic dominus ejus factus est, se adversus condicentem defendere nequit, minus igitur ille, qui dominium per præscriptionem consecutus est.

CAP. X.

De

TRIPLICI INDEBITO, ET QUIDEM DE INDEBITO CIVILITER ET NATURALITER SIMUL.

§. 1. Inde-

§. I.

Indebitum autem cum Dd. hic triplex constituo, ad quod omne quicquid indebitum est, commodè revocari potest, quot enim modis dicitur debitum, tot etiam indebitum dici necesse est, obligatio verò triplex est, naturalis, civilis & mixta; jam autem, uti aliquod debitum est, vel ex obligatione naturali & civili simul, vel alterutra tantum, ita etiam indebitum dicitur, quod vel nullo jure est debitum, vel alterutro tantum.

§. 2. Indebitum simpliciter & utroque jure, naturali scilicet & civili si solvitur, puta, quando nulla causa debendi præcessit, aut quæ præcessit legitimè dissoluta est, condici seu repeti potest; cū enim hic nullo jure debeatur, hinc quin repetitio ejus quod solutum est sit, nemo dubitat *l. 1, §. 1, h. t. l. 5, C. eod.* suadet enim hoc ipsum æquitas naturalis, quæ neminem cum alterius jactura fieri vult locupletiores *l. 14. l. 66, h. t. l. 32. de R. C.* quod sanè fieret, si rem quæ apud alterum sine causa est, repetere non liceret, ideoquè si tibi pecuniam solvero à te mihi mutuo datam, quam antea tibi reddidi, indebitum tam naturali quam civili jure est solutum, cum solutione extincta fuerit obligatio §. 1. *l. quib. mod. toll. oblig.* Similiter si usuræ ultra alterum tantum solutæ sunt, item usuræ usurarum hâc conditione repeti possunt, per textum expressum *in l. 26, §. 1. h. t. l. 10, l. 27, §. 1. C. de usur. l. 4, §. 1. ff. de naut. fœn. Berlich. Part. 2. Decis. 268, n. 6. Carpzov. in Prax. Criminal. part. 2, quest. 92. n. 84. & part. 2. Const. 30. def. 26, n. 27. Richter part. 2. Decis. 74, n. 63. Vid. Tabor de Altero tant. part. 3. art. 8, n. 19.* Licet in quibusdam locis uti in Ducatu Brunsv. & Luneburg. item in Frisia observante Johan. à Sande *Lib. 3. Decis. Frisic. def. 5.* solutæ usuræ ultra duplum condici non possint; cum in eo sistantur tantum residuæ seu solvendæ. Quicquid autem hoc sit, in Camera Imperiali alterum tantum non attenditur, sed ultra adjudicantur nec condici possunt, uti in causa Rade contra Hamburg præjudicium extat, quam sequitur jus Electorale Brandenburgicum, teste Hahn. ad Wesenb. *in addit. ad tit. de constit. pecun. in fin.* Usuræ verò ultra legitimum modum promissæ & solutæ non possunt repeti de jure communi, sed in sortem imputandæ sunt. *l. 26, pr. h. t.* Jure verò Camerali, usuræ cum non ut usuræ, sed ut interesse, & lucrum cessans publica imperii lege taxatum debeantur & petantur per text.

Deputations-Abschied de Anno 1600. §. so viel nun &c. & Recess: Noviss: de Anno 1654. §. anreichend &c. 174. non condicuntur solutæ, nec sorti imputantur, sed priusquam partes processum impetrare possint, huic pacto tanquam usurario renunciare debent, uti patet ex formula decreti, wofern supplitant dem pacto usurario renunciiren wird/ soll weiters ergehen was rechtens ist.

§. 3. In indebitum autem omni jure tam naturali quã civili, ignorantia non tantum in persona solventis, sed etiam accipientis requiritur, nam qui dolosè & scienter indebitum accipit, furti tenetur & contra ipsum condictio furtiva locum habet. *l. 18. de Condict: furtiv. l. 43, pr. de furt. Struve d. Exercit. 18, th. 41.* quando scilicet creditorem se simulans alterum ad solvendum induxit *d. l. 43.* Si enim quis ultro pecuniam sibi à debitore oblatam accipiat, furtum non committit. *Clud. d. 10, n. 32.* ad quod etiam referri potest id, quod sub conditione *l. 16, pr. b.* debetur, cum non tam debeatur, quam spes sit debitum iri §. 4, *J. de V. O.* ut ante ejus eventum solutum sit debitum atque ideò rectè condicatur *l. 16, b. t.* nisi talis sit conditio, quæ omninò exitura *l. 18, b. t.* qualis non tam speciem quam ipsum debitum ponit, licet in diem dilatum, cum dies adjectus: tunc enim impedit, quo minus cedat dies obligationis, id est, continuò debeatur promissum *l. 1, §. 1. in fin. de Condit. & demonst.* & faciat indebitum solutum, ut condictioni locus sit *l. 10. & 17, b. t.* si scilicet dies certo est eventurus, incertus enim dies est loco conditionis *d. l. 17, in fin.*

CAP. XI.

De

INDEBITO NATURALITER ET CIVILITER DEBITO.

§. I.

INdebitum naturaliter & civiliter debitum tantum, etiamsi errore juris solutum sit, repeti potest: Naturaliter autem indebitum est, quod aliàs debetur jure civili in specie sic dicto; ut si quis dolo inductus, metu coactus & errore lapsus promiserit & solverit, vel juraverit aut pactum de non petendo in perpetuum fecerit, condictionem non impedit, cum hic vinculum naturale deficiat §. 1. cum seq. I. de except. & exceptio

ceptio perpetua competat. *l.40, b.t. pr. l.7. de condict: caus. dat: caus. non secut:* uti in debito per chirographum facto *Gloss. & Dd: in l.1, ff, de condict. indeb. Wesenb. ad ff, de Condict. sine caus. n.2, & 3.* Licet inter mercatores, (quorum causæ, non aliter ac rusticorum *Nov.80, c.1, l.1, C. de agric.* summaritèr tantum tractantur ex æquo & bono, nec disputatur ibi de apicibus juris. *Recess: Imperii de Anno 1654. §. als auch bey den Handelsleuten. Carpzov. part.1. Const: 2, def.2, n.6. Caspar Klock Vol.3. Consil.135. n.144.*) hæc condictio ex communi interpretum & in foro receptâ oppinione ante factam solutionem non habeat locum *Carpzov. part.1. Const: 32. def. 70..* quia inter ipsos (si scilicet uterque & creditor & debitor sit mercator, secus enim est, si alteruter non sit talis) nec ipsa exceptio non numeratæ pecuniæ locum habet *Carpzov. d. loc. def. 69.* Neque etiam ulterius locum habet hæc condictio in literis cambii, quarum frequentissimus inter mercatores solet esse usus, ut executionem impediatur. *Jason in L.6, si cert. pet.* quoniam inter eos ex æquo & bono, uti dictum judicatur, & apices juris ac subtilitates negliguntur. *Jung: Wesenb. Vol: 1, Consil.31. n.23. & Carpzov. cit. loc. Const.8, def: 7.* hinc mercatori debitori nec actio danda est ex causa non numeratæ pecuniæ, ad repetendum chirographum ante factam solutionem *Carpz: Const:32, def:70.* Et quod attinet in specie literas cambii, exceptio non numeratæ pecuniæ iis opposita, solutionem retardaret, inque longum tempus differret, quod tamen ne fiat commerciorum interest, ipsorumque mercatorum, quorum fides hoc pacto periclitaretur, deinde quia plerumque literis cambii hæc verba solent adjici: *Umb dem Werth bin ich von ihm vergnüget /* quæ confessionem paritèr & renunciationem inducunt *Scaccia in tract. de Cambio §. 2. Gloss: 81, 12. Carpzov. Lib: 2. Respons. Elect. Respons. 92.* inde communissimum illud mercatorum: *qui acceptat solvat, wer acceptiret / muß zahlen. Rot. Gen. Decis. L.3, q.3. n.58, & seqq: Zanger: de Except: part: 3, c.14, n.54. Stypm: de jur: marit: & naut: part:4, c.8, n.112, cum seqq Emanuel Costa in repetit: L.3, C. de non num: pecun: Quod ipsum perspicuè satis Statut: Hamburg: part:2, tit:7, art:1.* sequentibus verbis confirmat: *Wer einen Wechselbrieff acceptiret / der wird debitor oder selbst Schuldener so wol / als der das Geld selbst auffgenommen und empfangen hat.* Quanquam de jure civili contraria sententia sit verior, cum leges generalitèr loquantur, & mercatores nusquam

reperiantur excepti, imò à mercatoribus originem traxisse videatur
literarum obligatio.

§. 2. In quibusdam verò casibus indebitum naturaliter & debi-
tum civiliter repeti non potest, uti in exceptione rei judicatæ quia na-
turalis obligatio non tollitur, sed verus debitor etiam absolutus natura
debitor manet *l. 28, l. 60, h. t.* S^Cti Macedoniani *l. 40, h. t. l. 9. in fin:*
ad S^Ct: Macedon. cum nec hic obligatio naturalis planè improbata
l. 20. ad S^Ct: Macedon. & in odium creditorum introducta sit *l. 9,*
§, ult: ad S^Ct: Macedon: facit huc, quod naturale debitum solvendo
agnovisse videatur *l. 2, C. ad S^Ct: Macedon:* ita quando filius fami-
lias mutuo accepit pecuniam, & postea cum pater familias factus sol-
vit, & omisit exceptionem S^Cti Macedoniani, tunc ipsi non datur
repetitio, subest enim ibi naturalis obligatio, & cessat favor singularis,
ob quam aliàs dari solet repetitio, *Jung: d. l. 9, § 7, §, fin: ff, eod: t.*
Notandum, verò, quod hæc condictio detur ex æquo & bono
l. 66, h. t. adeoque non nisi contrariâ æquitate excludi possit, quam
non potest prætere is, cui quid solutum, etiam si per ignoran-
tiam juris, quod natura non debetur; imò nisi repeti istud pos-
set accipiens manifestum sentiret lucrum, is verò qui solvit præsen-
tissimum damnum, hoc ipsum vero jus naturæ, quod neminem cum
alterius damno fieri vult locupletiores non concedit. Non ergò so-
lus error juris qui jus ignorantem pro sciente reputat, facit indebitum
hoc defendere, atque justam retinendi ejus, quod accipienti nullo ju-
re debetur, causam præstare potest; quin potius lucum habebit re-
gula illa, quod melius sit favere repetitioni quam adventio lucro
l. 41, §, 1. de R. J. Si itaque quandoquæ cessat condictio, aliundè eam
cessare oportet, quando nimirum ex parte accipientis justa causa subest,
quæ conditionem contraria æquitate repellit & excludit, ratio enim
æquitatis justam quoque causam in accipiente requirit, quæ hic nulla
est, sic si quis dolo malo aliquem induxerit aut metu illato coegerit,
ut promitteret & solvat, quis credat id, quod ex hac causâ solutum est
retineri posse? hoc nempe saltem prætextu, quod alter in jure errave-
rit, ignorans nempe se posse adjuvari doli mali aut metus exceptione
Vid. l. 7, pr. de Condict: caus: dat: præcipuè verò quod in l. 7, § 8. de
jur. & fact. ign. scriptum est, nemini errorem & ignorantiam in da-
mnis amittendæ rei suæ nocere, & hoc aliquandò benignè & ex justis
causis factum dicitur *in l. 1, pr. ut in poss. legat. & in l. 25, pr, de pingn.*

Nec

Nec obstat: quod jus ignorans pro sciente habeatur, ad hoc enim & ad l. 2. C. si advers. solut. l. 9, & ult. C. ad L. Falcid. respondetur, quod hoc ipsum in iis tantum casibus verum sit, ubi iusta aliqua debendi causa ex parte quoque accipientis subest, ut quoties aliqua naturalis obligatio superest. *Ad Diff. Clud. argumenta c. 1, n. 15. & seqq. respondet Frantzck. ad ff, h. t. n. 28, & seqq.*

§ 3. Quod autem ille, qui indebitum solvit ex ignorantia juris, solutum repetat; illud verum est regulariter, qua hæc conditio datur, ex æquo & bono per antea dicta, quemadmodum præter allegatum præjudicium in cap. 7, §. 2. responderunt Antecessores in Academia Julia hoc modo: Haben nunmehr eure Seel. Brüdere Jobst und Basilius W. in Anno 1630. Da sie noch junge angehende und dem Krieg zugethane Leute gewesen auß Irthum und Unwissenheit der rechte / in einem Vertrage etlicher fidejussorn, als Otten von A. Dieterichen von L. Wilhelms und Cord von A. so zu der Zeit notoriè nicht solvendo gewesen / alle onera auff sich genommen / und dieselbe gänzlich abzutragen sich versprochen / da sie jedoch dazu in solidum nicht verbunden / sondern W. von A. und S. von A. als confidejussorn der rückfälligen Bürgen / mit denen von W. zugesambter Hand hätten tragen sollen. Es hätte auch deswegen und das wider Rechtlich / die von W. auff der von A. zugelegte Rechnung / der nicht solvendo gewesener Mitbürgen / viriles portiones über sich nehmen müssen: Der eine Fürstliche Commissarius Herr D. Georg T. die vergleichung nicht unterschrieben und versiegeln wollen: So seyd ihr als euer Brüder Erbin / der rückfälligen Bürgen quoten gänzlich abzutragen nicht verbunden / sonderen Exceptio Indebiri vel plus petitionis, euch wider die von A. und A. wenn sie euch wegen des contracts vornehmen würden zu schützen / oder imploratione officii judicis pro errore corrigendo wider sie zuverfahren / wol befugt.

§. 4. Et ad hoc caput etiam referendum est, quandò quid propter exceptionem perpetuam peti nequit de quo supra cap. 5, §. 4. actū fuit,

fuit. Indebitum enim solutum accipimus, inquit, *Jctus in l. 26, §, 3, b. t.* non solum si omninò non debeatur, sed etiam si per aliquam exceptionem perpetuam peti non possit. Sunt autem exceptiones istæ potissimum, exceptio quod metus causa, doli mali, pecuniæ non numeratæ uti antea dictum fuit, item jurisjurandi, judicati, pacti ne unquam petatur &c. *§, 9. l. de act:* temporales enim hic minimè profunt, unde si quis tutus sit exceptione pacti, ne intra certum tempus petatur, & ante terminum elapsum ad solutionem se præcipitet, hæc actio ei denegabitur, qui enim in certum diem debet, & ante diem solvit, nihil repetit *l. 10, l. 16. cum l. seq. ff, b. t.* Similitèr maritus, qui ex actione dotis habet exceptionem in quantum facere potest, si integram dotem restituit, nihil condicit, *l. 8, cum l. seq. ff, b. t.* Deindè exceptio ista non debet esse introducta in odium creditoris *l. 19, pr. ff, b. t. l. 10, ff, ad. Sct. Macedon. Jung. supra §, 2. hujus cap:* sic mulier solvens pro marito ad inopiam postea vergente conditione indebiti solutum à creditoribus mariti repetere nequit, secus verò, quandò ob intercessionem solvit, prout ex sequenti *Capite 12, §, 3. patet.* opponi enim hic potest ipsi mulieri, quod non suo, sed mariti nomine solverit, quo casu liberatur debitor, nec ulla datur soluti condictio aut repetitio ab eo, qui suum accepit licet alius solverit *l. 44. l. 8. l. 36. ff. de Condict: indeb. Carpzov. part. 2. Const. 24. def. 10.* ubi in causa Christinae viduæ Andreæ Lohmanns zu Grimme/ Mens. Febr. Anno 1632. ita pronunciatum fuisse, asserit. **Hat euer Mann ein Bauer Guth vor 1200. Thaler erkaufft/ und weil unterschiedene Schulden darauff gestanden/ so bemelster euer Ehemann ablegen sollen/ habt ihr dieselbige theils bezahlet: Ob ihr nun wol solcher außgezahlten Gelder / aus eures Ehemanns hinderlassenen Guthe nicht wiederumb befriediget werden könnet / so seyd ihr doch dieselbe von dem jenigen so damit abgefunden und bezahlet worden/ wieder zu fordern nicht befüget** **B. X. W.** Licet enim aliàs authoritas juris condictioni indebiti tribuat id, quod non debet *l. 5. C. de condict: indeb:* tamen illud eo casu verum est, si quis suo nomine solverit quod alter debet, mulieri verò hoc in casu videtur obltare, quod non suo, sed mariti nomine solverit, nec datur repetitio ab eo, qui suum accepit, licet alius solverit *d. l. 44. l. 8. l. 36. ff. de condict: indeb.*

§. 6. Hisce

§. 5. Hisce & aliis exceptionibus potest adjungi illa, quæ ex epistola Divi Hadriani competit fidejussoribus in solidum obligatis, ut pro parte solvere possint §. 4, *I. de fidejuss.* ubi quæri solet, An si fidejussores omisâ hâc exceptione solidum solverint, habeant conditionem, sive an condictio indebiti in correis locum habere possit? Circa quam quæstionem distinguendum est, an scilicet omnes sese expressè in solidum obligaverint nec ne, primo casu cessat repetitio, posteriori verò non, cum non per exceptionem demùm, sed ipso jure sint tuti, ideoque repetitio partis tanquam indebitè solutæ ex æquitate ipsis deneganda est, non enim id solvendum est, quod quis ipso jure non debebat, ad quod referri potest illud, quod dicitur *in l. 65. §. fin. ff. h. t.* etiam illud indebitum esse, si quis id, quod aliquis debebat, alius quasi ipse debebat solverit, & ita responderi potest *ad Nov. 99. Vid. Nicol. de Passer. de conciliat. legum p. 269. & §. preced. hujus capit. in fin.*

§. 6. Et ex his omnibus causis, quæ jure non valuerunt, secutâ solutione per errorem, condictioni locus erit, ut quando ex testamento quod irritum fit & rumpitur falsum vel inofficiosum declaratur, solvitur *l. 2. §. 1. cum seq. h. t. Struve d. Exercit. 18. th. 37. & 40.* Quandò verò testamentum per querelam inofficiosi rescinditur, & corrueute institutione uti hodiè *per Noovell. 115. cap. 3. & authent. ex causa C. de lib. præter: legata & fideicommissa cæteraque capitula salva manent, tunc solutum ex iis causis non repetitur.*

CAP. XII.

De INDEBITO CIVILITER ET DEBITO NATURALITER.

§. I.

INdebitum autem civiliter sed debitum naturaliter conditionem non admittit, si modo subsit naturalis obligatio plena, quæ & alios à jure civili effectus producat, tales autem sunt, ut, quod ex hâc obligatione debetur possit constitui *l. 1. §. 7. de const. pecun. admittat*

mittat pignus l. 5. inf. de pign. fidejufforem l. 7. de fidejuff. novationem l. 1. §. 1. de novat. & compensationem l. 6. de compensat. Exempla debiti naturalis ex pleniori significatione orti in quo jus civile conditionem indebiti non admittit, de quibus etiam supra ex parte actum fuit, possunt esse, debitum ex nudo pacto, ex quo obligatio quidem oritur, non tamen datur etiam actio; ubi jus civile propter omittas solemnitates non assistit huic consensu nec oritur civilis obligatio, & ideo est indebitum civiliter, quia nempe ejus nomine nulla producta actio est, naturali æquitatis vinculo quamvis debeatur *l. 95. §. 4. ff. de solut. l. 1. §. pen. ff. de const. pecun. l. 10. ff. de O. & A.* obligatio inter libertum & patronum, ut si operas officiales quas non debet nisi promissas *l. 31. de oper. libert. patrono solverit. l. 26. §. 12. b. t.* beneficium enim manumissionis conditionem inhibet *l. 84. §. 1. de R. J.* & quodcunque debitum cum servo contractum *l. 14. ff. de O. & A.* debitum inter filiumfamilias & patrem in cujus potestate est & vice versa *l. frater à fratre 38. ff. b. t.* item debitum inter fratres in eadem potestate existentes contractum, & dissoluta potestate solutum, *d. l. 38. b. t.*

§. 2. Circa quam *L. frater à fratre 38. b. t.* quæ ab interpretibus propter difficultatem inter septem leges damnatas referri solet per occasionem, propter diversa *Dd.* commenta quædam attingenda sunt. Quidam patri filii obligationem etiam naturalem esse acquisitam ita, ut ne momento in persona filii subsistat *arg. l. 79. ff. de acquir. hered.* contendunt, cum in jure nostro pater & filius pro una eademque persona reputentur *arg. §. sed neque I. de testam. l. pater ff. de testib. l. quasitum 91. ff. de legat. 1.* quibus præsuppositis dicunt, fratrem debitorem qui post mortem patris fratri creditam pecuniam solvit, partem, ex qua ipse patri heres extitit repetere ideo, quod illud debitum, quo patri secundum eorum opinionem obstrictus erat, pro ea parte propter successionem sublatum sit, quemadmodum semper debitore creditori herede existente debitum extinguitur: Ex altera verò parte, quæ frater scilicet creditor heres extitit, non repetere, nisi tamen summam ex peculio ejus frater creditor in divisione hereditatis paternæ consecutus sit, & tunc obligationem quæ propter successionem
nem

nem demùm in fratrem transmissa est, esse sublatam. Sed sciendum est, cum dicitur patrem & filium pro una eademque persona haberi, id eatenùs dici, quatenus hoc fictione juris civilis ita dispositum est, quæ fictio ad jus naturale, cujus immutabilitas tanta est, ut à DEO ipso, prout jam ita constitutum est, mutari nequeat teste *Hug. Grot. in tract: de jur. belli & pacis lib. 1. c. 1. n. 10 & Felden in not. ad eund.* nullo modo extendenda est; unde non immeritò hæc opinio est reprehendenda. Interim nec aliorum explicatio & textus correctio placet, sed verissima, mentique Africani convenientissima esse videtur sequens explicatio: Frater scilicet debitor pro ea parte, quâ patri heres extitit, repetiturus est ideò, quod etsi mutuum à fratre non accepisset, tamen mortuo patre, confusoque cum hereditate peculio, dimidiam partem jure hereditario accepisset, pro altera parte tunc est repetiturus, si non minus ex peculio ejus ad fratrem creditorem pervenerit, quia eo casu etiam naturalis obligatio, quæ inter illos ab initio intervenientis mutui fuit, nec demùm post mortem patris in filii personâ consistere cepit, sublata est, adeoque totius quod solvit, repetitionem habet, si verò tantam summam in peculio factâ divisione non contulerit sed consumserit, aut suppresserit, pro eâ parte repetitionem non habet.

§. 3. Sic etiam exempla debiti naturalis, ex pleniori obligatione orti in quo jus civile conditionem indebiti non admittit, sunt residuum debitum eorum, qui conventi non solidum quod debebant, sed quantum facere poterant beneficio & exceptione competentia præstiterunt, ut maritus conventus ab uxore, actione ex stipulatu, pro dote *l. 9. b. t. §. 7. I. de act.* socius à consocio *l. 16. de re judic.* patronus à liberto, parentes à liberis. *l. 19. de re judic. §. 38. I. de act.* donans à donatario *l. 19. §. fin. de re judic.* debitor qui bonis cessit à creditore *§. ult. I. de action.* exceptio enim competentia non extinguit obligationem naturalem *l. 9. b. t.* Hanc autem obligationem naturalem si infirmat jus civile, ut pupilli *l. 41. b. t. l. 59. de O. & A.* illius, qui justo & legitimo tempore præscripsit *l. 37. de fidejuss.* & mulieris intercedentis *l. 16. in fin. ad SCt. Vellej. l. 9. C. eod.* repetitioni locus erit, quando enim illa intercessit pro aliquo & solvit, tunc licet actione conventa

non debebat solvere, quia habet exceptionem Scti. Vellejani, quia tamen illam omisit, habet repetitionem. Nec obstat quod ibi adsit naturalis obligatio, licet cesset civilis, cum aliquandò ob singularem favorem pœnæ concedatur repetitio. Ita quoque ob peculiarem conditionem solventis indeque venientem favorem conceditur repetitio pupillo qui sine tutoris autoritate stipulanti promissum solvit, neque is hoc respectu naturâ debet. *l. 41. h. t.* quacunq; enim ratione & quocunq; errore pupillus, vel furiosus & prodigus sine tutoris autoritate indebitum solvit, quod aliàs ita se habet, ut repeti non possit, ipsa persona sive personæ conditio locum facit repetitioni *l. 29. h. t. Glud. cit. loc. c. 5. n. 22. & seq.* Aliud verò est in minore, qui si ex causa, ex qua jure civili est repetitio solvit, perindè ut major habet condictioem, sin verò ex eâ causâ, ex qua jure civili non est danda repetitio, ipsi, cum in eo sit aliqua judicii stabilitas §. *ult. in fin. quib. ex caus. man. non lic.* non potest directo & ipso jure indebiti condictio competere, sed necesse est, impetret prius restitutionem & condictio indebiti ipsi mediante restitutione prætoriâ detur. *l. 25. pr. de minor. l. 5. h. t.*

§. 4. Ubi etiàm quæri solet, an obligatus ad ἀντίδωρον habeat indebiti repetitionem? circa quam quæstionem distinguendum est, aut enim obligatus simpliciter solvit, aut solvit remunerandi gratia: illo casu locus est conditioni, quia inter dantem & accipientem hoc non agitur, ut is qui dedit iterum quid recipiat, & ut ita obligatio invicem contrahatur, alias enim non beneficium sed creditum foret; hoc casu cum Dd. subdistinguendum est, aut enim donandi animo solvit, & non datur condictio solventi, aut solvit quod putat se efficaciter ad id obligari, & ita ex errore juris solvit, & repeti non potest. *Jung. Bachov. de Act. D. 4, tb. 16, in fin*

CAP. XIII.

De

**FORMA HUIUS ACTIONIS, IN QUO LOCO
NEMPE REUS CONVENIRI ET QUID ACTOR
PETERE ET PROBARE DEBEAT.**

§. 1. For-

Forma hujus actionis consistit in ipso iudicii ordine, ubi considerandus venit primo locus, ubi agi oporteat, secundo actoris petitio, tertio probatio cui nempe illa incumbat, & quarto exceptiones reo competentes. de quibus in capite ultimo dicendi erit locus. Circa locum verò notanda venit regula generalis, quod actor forum rei sequatur *l. 2. §. 5. C. de jurisd. omn. judic. l. ult. C. ubi in rem actio exerc. deb. C. cum sit generale X. de for. comp.* quia verò hæc actio est in personam §. 15. *I. de act.* utpotè ex contractu descendens, sequitur hic rei vindicationem excludi. *Vid. quæ supra cap. 2. §. 2. in fin.* hæc de re dicta sunt. Indebitum enim solvitur & accipitur eo animo, ut dominium transferatur in accipientem, undè cum concurrat utriusque consensus & traditio, non potest quod alienatum est vindicari, sed condici tantum actione personali, quâ repetitur, quod indebitè solutum est *l. 35. ff. de solut. Peretz. ad C. b. t. n. 2.* Et licet hæc sit nuda traditio quam nulla causa præcessit, ut proindè non possit videri transiisse dominium *l. 31. §. 35. ff. de A. R. D.* satis tamen est, quod causa subesse putetur, ejusque nomine fiat traditio, concurrente utriusque tam solventis quam accipientis consensu. Interdum verò condictio hæc quovis loco conveniente potest institui, licet is qui solvit certo loco se debere existimaverit *l. 27. b. t. ibique Gothofred. quin etiam in eo ipso loco, quo quis solvit indebitum, forum sortitur reus Gothofred. in l. 20. de jud. Jung. l. 3. de reb. aut. jud. poss.*

§. 2. Actoris petitio consistit in actionis editione sive libelli oblatione & citatione, quibus præmissis & processu jam impetrato libellus offertur: Præsuppono autem hic libellum supplicem sive supplicationem de qua supra *cap. 5. §. 4.* ex parte egi, pro processu impetrato prius emissam, eique libellum actionis minimè annexum fuisse, si enim hoc semel factum est, amplius fieri non potest, sed sufficit eum in termino comparitionis reproducere. *Carpzov. part. 1. Const. 1. def. 3.* In hæc autem condictione actor majorem quam indebitam summam ne exprimat, pro ea enim parte quâ debitum solvit, nihil repetit *l. 38. in pr. ff. b. t.* Ulpianus tamen *in l. 26. §. si centum, casum refert, ubi ager ducentorum aureorum ei, cui centum debebantur, per errorem in solutum datus integer condicatur, ne quis in com-*

munionem discordiarum matrem *l. 77. §. 20. ff. de leg. 2.* invitatus trahatur. Ubi quæri potest, qualem culpam præstare teneatur ille cui res in specie soluta, postea intereit, & respondetur, si sine dolo rem indebitam accepit, quod tunc tantum dolum & latam, culpam, non verò casum fortuitum præstare teneatur, nisi mora præcesserit *l. 5. ff. de R. C. l. 31. §. 3. ff. de pet. hered.* cum satis sit regulariter si ea, quæ quilibet alius res proprias, diligentiam indebitè acceptas curet.

§. 3. Obligatio autem in hac conditione non nascitur, nisi quatenus res data est. *l. 17. de pact.* undè usuræ quæ datæ non sunt, in eam non veniunt *l. 1. C. b. t.* neque cum re ipsa sunt restituendæ, etsi litis contestatio vel mora facta sit, licet aliàs post litem contestatam currant, *per l. 35. ff. de usur.* Non enim potest videri in mora esse, qui indebitum accepit, cum agatur de contractu stricti juris, in quam aliàs non veniunt usuræ, nisi per stipulationem promissæ *l. 24. de præsc. verb. l. 3. C. de usur. l. 121. de V. S.* quare nec post litem contestatam currere incipient *l. 1. C. de condict. indeb.* conditiones autem stricti juris sunt, ut ita satis sit servari eum indemnem qui indebitum solvit *l. 24. de præsc. verb. l. 121. de V. S. Jung,* Taco à Glins *in tract. de mora part. 2. aph. 4.* & passim. Hodie verò cum in mutuo non solum *per Recess: Imperii de Anno 1600. §. so viel nun &c. verbis so ordnen und wollen wir & Recess: Imperii noviss: de Anno 1654. §. anlangend die sed etiam per Const: Elect: part. 2. Const. 30.* ibique Carpzov. *def. 1. & 2. & Berlich. p. 2. Const. 38. n. 19.* usuræ debeantur ex mora; quæri potest, an etiam hoc extendendum sit propter affinitatem ad promutuum sive conditionem indebiti, sed cum constitutio correctoria juris civilis non extendenda, sed intra suos terminos quoad fieri potest coercenda sit, ideò meritò negativa sententia utpotè verior approbatur. Nec obstat exemplum fructuum *in §. 2. cap. seq.* quos à tempore litis contestatæ in stricti juris judiciis deberi certum est *l. 38. §. 2. ff. de usur. & fruct.* comparatio enim fructuum & usurarum non procedit, nisi in bonæ fidei judiciis & quæ his annumerari solent uti sunt legata & fideicommissa *l. 38. ff. de usur. & fruct.* ratio diversitatis est, quod fructus ex corpore ipso nascantur, adeoque certum sit, dominum fructus istos habiturum fuisse, si julto tempore res fuisset restituta, quod de usuris asseri non potest,

est, cum non ex corpore, sed extra corpus, & ejus duntaxat occasione percipiantur, adeoque licet res vel pecunia absque mora fuisset restituta non tamen fortassis creditor usuras habiturus fuisset.

§. 4. Non sufficit autem solutionem indebiti allegare, sed quia facti est, perinde ut aliàs ignorantia seu error probanda est *l. 25. de probat.* Menoch. *de presumpt. lib. 1. quest. 24. n. 53.* ut nempe sententia ferri possit Meier. *in Coll. Argent. b. t. th. 10.* Clud. *cit. loc. c. 10. n. 39.* cum nemo indebitum, sed semper debitum solvisse præsumatur, nisi fortè reus negaverit, sibi esse solutum, quo casu sufficit saltem probatio soluti, & reus pœnam mendacii indebitum fuisse probare debet *d. l. 25. in pr. de probat.* vel is qui solvit pupillus aut minor 25. annorū sit, mulier; rusticus, miles, aut alius simplicitate gaudens, ut agricola & forensium rerum imperitus, aut desidiæ debitus ut monachus, qui probationem transferunt in eum, qui arguit indebitam pecuniam accepisse *d. l. 25. §. 1. eod. t.* Et hoc obtinent, si totum indebitum solutum esse contendit, qui vero plus debito solvisse contendit, sive partem indebitam fuisse vel sub exceptione debitam, hoc probare debet *d. l. 25. §. 2.* Ideoque licet Dd. dicant, duo extrema probanda esse, scilicet indebiti solutionem & ignorantiam seu errorem, tamen hoc præsumi dixerim, nam si probaverim me amplius non debuisse, putarem hoc sufficere, cū nemo suum jactare videatur. Carpzov. *part. 2. Const. 28. def. 21.* Is tamen cui probatio incumbit potest adversario suo deferre jusjurandum cum in animo consistat *arg: sæpius alleg: l. 25. §. pen. de probat.* ubi tamen prius juret de calumnia & sic evitare potest onus probandi, quod tamen juramentum deferenti iterum referre potest *d. l. 25. §. 3. l. 3. de jurejur.*

CAP. XIV.

De

FINE, EFFECTU ET AFFINIBUS CONDI- TIONIS INDEBITI.

§. 1.

Finis est, ne quis cum alterius damno per injuriam locupletetur, quod naturæ repugnat *l. 14. b. t. l. 8. §. 22. in fin. de transact.* Meier. *in Colleg. Argent. b. t. th. 11.* & agit actor hoc loco contra reum qui rem suam tenet, ut iterum ipsi restituat.

§. 2. Effe-

§. 2. Effectus est consecutio ejus quod indebitè est solutum, minimè enim justitiæ & æquitati convenit, ut quod nullo modo debebatur, apud alterum remaneat, unde hoc remedium inventum æquitatis dicitur *in l. 66. ff. h. t.* Regulariter autem actor tantum, quantum indebitè solvit, consequitur; hoc vel fit, quando primo ipsi idem adjudicatur *l. 7. ff. h. t.* Si igitur species soluta fuerit, eandem quis consequitur, sic si possessio fuit translata ea sola repetitur, dominium enim quod non habui in accipientem transferre non potui, ideoque possessionem quam transtuli, repetere possum *l. 15. §. 1. h. t.* undè etiam à nonnullis inter remedia recuperandæ possessionis refertur Menoch. *in prælud. recuperand. poss. n. 46.* vel secundò tantundem ei adjudicatur, si nempe in solutionem datæ fuerunt res quæ constant in mensurâ, numero pondere, ut sunt nummi, frumentum, vinum, quarum aliæ aliarum naturâ ac vice in permutatione usu & commercio genere suo funguntur. *l. 94. §. 1. ff. de solut. l. 7 ff. de prætor. stipul.* quasi altera alteram repræsentet, ut nihil referat, quæ ex iis tanquam æquivalentibus detur, idque propter parem quantitatem & qualitatem jure publico iis tributam *l. 102. pr. ff. de solut.* Interdum tamen in plus fit condemnatio, interdum etiam in minus, in plus, quando accessiones naturales in hanc actionem veniunt *l. 15. ff. h. t.* sic quod rei indebitæ accessit condicatur, ut sunt partus, fructus, alluvio *d. l. 15. pr. l. 26. §. 12. vers. & interdum l. 65. §. 5. h. t.* Meier. *in Colleg. Argent. h. t. th. 9. in fin.* uti enim id, quod ex rebus illis est perceptum non debet cedere lucro possessori *l. 15. pr. ff. h. t.* ita etiam fructus ex eo tempore, ex quo primum res accepta est, una cum re ipsa sunt restituendi ex ipsius negotii natura & quasi lege *l. 38. §. 1. & l. 1. de condiçt. indeb.* In repræsentatione enim debiti ante tempus semper inesse solet commodum *l. 10. §. 12. quæ in fraud. cred.* Gothofred. *in not. ad l. 10. h. t.* usuræ verò per supra dicta *in cap. 13. §. 3.* utpotè non ex ipso corpore pecuniæ, sed ex alia causa provenientes *l. 121. ff. de V. S.* in eam actionem non veniunt *l. 1. C. h. t.* Oldendorp. *Class. 6. act. 6. n. 8.* Meier. *d. loc.* In minus fit condemnatio, quando eatenus reus condemnatur, quatenus factus est locupletior *l. 65. §. 1. ff. h. t.* undè qui solutum bona fide consumsit aut perdidit, vel vendidit etiam minimo, in tantum solum condemnabitur, in quantum factus est locupletior. *l. 3. l. 26. §. libertus h. t.* ubi tamen notandum venit, in dubio accipientem consumptione locupletiozem factum præsumi,

præsumi, & propterea condemnari, nisi lucrum exindè ad se non redundasse probet.

§. 3. Circa effectum verò hoc addendum est, quod iudex secundum probationem actoris pronunciare debeat, actore enim non probante reus absolvitur *l. 4. C. de edend. l. 23. C. de prob. Vid. quæ circa §. 4. cap. 13. dixi*, Imprimis autem observare debet, ne aliter iudicet quam legibus aut constitutionibus, aut moribus proditum est *l. 19. C. de appell. l. 2. & l. 5. C. quando provoc. non est necess: Vant: de nullitat. process: tit: de nullitat: sent: ex defect: process: n. 118. & seq. Rutger. Ruland. de Commiss: part. 1. lib. 6. cap. 5. n. 4. & seqq.* Si itaque fortè in iudicio contingat, ut reus & fidejussor pariter solverint, tunc licet secundum *l. 20. h. t.* utrique pro rata dari debeat repetitionem, tamen cum hodiè principalis ante fidejussorem sit conveniendus & executiendus *Novell. 4. de fidejuss: ideoque fidejussor tantum repetet, cum indebitum solverit; & hinc rectè d. l. 20. per d. Novell. esse correctam statuit Accursius in d. l. 20.* Si verò fidejussor solus solverit, distinguendum erit, an suo vel alieno nomine solverit, si suo, ipse, si alieno nomine principalis scilicet, hic condicet. *l. 38. §. ult. junct: l. 47. h. t.* Similiter si fidejussor errore solverit cum pacto de non petendo liberatus sit, & postea quoque reus solvat fidejussor condicet. *l. 59. h. t.*

§. 4. Affinia sunt mutuum, cum quasi mutuum appelletur *l. 5. §. 3. de O. & A. condictio indebitæ cautionis l. 3. C. h. t. condictio sine causa l. 3. de condict. sine caus. rei vindicatio l. 29. 46. 53. h. t. l. 14. de R. C. actio furti, quandò quis sciens indebitum accepit. l. 14. de condict. caus. dat. caus. non secut. l. 19. C. de furt. condictio furtiva l. 80. §. 5. h. t. & l. 38. §. 1. de solut. negotiorum gestio l. 43. l. ult. vers: sicut, de negot. gest: actio mandati. l. 47. h. l. 98, §. 5. in fin: de solut: & alia, quæ videri possunt apud Meier. in Colleg: Argent: h. t. tb. 12.*

CAP. XV. & ult.

De

EXCEPTIONIBUS REO COMPETENTIBUS.

§. I.

ULtimo loco observandi sunt aliquot casus reo competentes, de quibus *in cap. 13. §. 1.* mentionem feci, quæ hanc actionem ob errorem facti impediunt seu excludunt; & excluditur potissimum primo,
F
quandò

quandò quis condemnatus ex causa judicati solvit, cujus nulla est repetitio *l. 1. C. b. t.* quia res judicata habetur pro veritate & jus facit inter partes irretractabile *l. 25. ff. de stat. hom. t. t. C. de rejudic. Rimin. Consil. 562. n. 30. & seq. & Conf. 420. n. 8. & seq.* imò falsum in verum, & verum in falsum convertit; non quidem essentialiter sed quoad effectum, indeque pro veritate habetur *c. cum inter X. de sent. & rejudic.* eamque restaurari exemplo grave est. *l. 4. C. de re judic.* de albo nigrum facit, & de nigro album, de indebito debitum & contra. Wesenb. *part. 7. Consil. 332. n. 32.* Nec tollitur naturalis obligatio, sed verus debitor etiam absolutus natura debitor manet *l. 28. l. 60. b. t. Wesenb. ad ff. de except. rei judic. n. 2.* licet etiam aliquandò contingat, quem injustè condemnatum esse, sibi enim imputare debet, quod remedio appellationis non fuerit usus, vel de nullitate processus intra legitimum tempus sit conquestus, de quâ videatur Berlich. *part. 1. Conduf. 61. n. 5.* pertinet etiam huc, quod quis ex causa jurisjurandi solvit *l. 9. ff. de jurej. Jung. Speckhan. Cent. 2. Class. 2. quest. 14. in fin.* si nimirum solvatur ei, qui juravit sibi deberi, secus si solutum sit ab eo, qui juravit se non debere, cum huic & exceptio perpetua competat, & naturalis obligatio per juramentum dissoluta sit *l. 95. §. 4. de solut.* Hinc quod obiter tantum notandum venit, prædicta regula, quæ rerum judicatarum auctoritatem salvam esse, minimeque infirmari aut rescindi debere cupit tanta est, ut consecuta fuerit nonnullas ampliaciones, ita ut res judicata non retractetur primò computationis prætextu *l. 2. C. de rejudic. L. unic. C. de error calc. & Richter ad eand. n. 70.* secundò sub velamento non oppositæ præscriptionis sive exceptionis *L. 2. C. sent. resc. non poss.* quæ lex generaliter procedit, quandò exceptio sententiam oppugnat, hoc est, contra sententiam opponitur, nam aliter ferere habet, si opponatur contra ipsam actionem tantum non etiam contra sententiam, tali enim casu etiam in executione ad impediendam eam opponi posset. Gail. *Lib. 2. Observ. 17. n. 8. & seq. tertio* etiam si iudex sit mortuus *l. 6. & 7. C. de episc. audient. & l. 29. C. de appell.* postquam acta in publica monumenta translata *l. ult. C. de rejudic.* quarto sub specie enormis læsionis *l. 2. C. sent. resc. non poss.* in quam affirmativam sententiam inclinat ex parte *Const. Elect. Saxonica 34. part. 2. & Carpzov. d. loc. def. 4. n. 6.* autoritas namque iudicis præsumptionem læsionis ac deceptionis excludit *l. 12. C. de pact. l. 1. C. de præd. & al. reb. min. c. in presentia X. de renunciat. Carpzov. Lib. 5. Respons. 54. n. 16.*

quinto

quinto prætextu impetrati rescripti, quia semel res judiciali sententia est decisa, ideoque illam princeps immutare non potest, *l. ult. C. sent. resc. non poss.* Menoch. *de A. J. Q. Lib: 1. q. 48. n. 7.* Carpzov. *part. 3. Decis. 214. n. 20.* Denique sexto nec transactio de judicato subsistit. *l. 23. §. 1. ff. b. t. l. 32. C. de transact.* Mynsing. *Lib. 4. Observ. 47. n. 4. & seq.* nisi incertum & dubium sit, an judicatum jure subsistat, vel appellatione aut alio simili remedio sententia intentari possit *l. 23. §. 1. b. t. l. 7. l. 11. ff. & d. l. 32. C. de transact.*

§. 2. Secundò excluditur hæc actio, quando indebitum quidem datum, solutum tamen non est, quale est illud quod transactionis nomine datum est, ut à lite discedatur. *l. 65. pr. ff. b. t. l. 2. C. eod.* Köppen *Lib: 2. Decis: 63. n. 2.* Brunneman. *ad L. 2. C. de condict: indeb:* Lite enim inter Sejum & Titium de quadam re exorta eaque per transactionem dirempta, & eo quod promissum est soluto, licet postea appareat Sejum Titio nihil debuisse tamen quod solutum est, indebiti conditione repeti nequit. Dicit autem Jctus *in d. l. 65.* licet res nulla media fuerit &c. ubi verbo rei debitum intelligitur, ut sensus sit, licet debitum nullum fuerit, secus autem in hoc casu est, si per evidentem calumniam transactio fuerit expressa, sive si is qui accepit sciens nihil sibi deberi, aliquid ab altero extorserit terrore litis, ut ab eâ desisteret *d. l. 65.* vel si transactio imperfecta fuerit, nam verba *sin autem &c.* disjunctim hic sunt accipienda *Vid: Clud: cit: loc: c. 4. n. 85.* Ratio autem cur si ex evidenti calumnia transactio sit expressa, condictio detur est, quia non tam transactio quam sordida concussio esse videtur *l. 1. §. pen. de calumn.* Nec obstat *l. 65. §. 1. b. t.* ubi dicitur, quod transactionis nomine datur, licet res nulla media fuerit, non repetitur nisi evidens calumnia tetegatur, tunc transactio imperfecta est & repetitio dabitur; Aliud enim est quando lis calumniose mota est, & super re certa & indubitata fuit transactum, de substantia enim transactionis est, ut de re incerta & dubia duntaxat fiat *l. 12. C. de transact. l. 1. ff. eod.* Natta *Cons: 543. n. 30.* Non vero valet sed ipso jure nulla est, si super re clara & certâ, cujus finis est certissimus sit, *l. 11. de transact: l. 23. b. t.* Ludov. *Rom. Consil: 517.* vel lite ficta interponitur *Dec: Cons: 351.* vel calumniosa lis dat causam transactioni per jam dicta *Jung: l. 65. §. 1. vers: sin autem ff. b. t.* Nec excluditur hæc nostra actio si is solverit, qui exceptionem transactionis habuit *l. 40. pr: b. t. l. 31. C. de transact:*

§. 3. Tertiò excluditur hæc actio, quando alius debet alius solvit,

five excipitur quoque illud indebitum, quod ab alio debebatur, & ab alio est solutum, cui se tantum debere existimabat *l. 52, b. t.* si nempe expressè debitoris nomine solvatur: Nā sunt hac in re pugnantes textus *in l. 19. §. 1. l. 8, l. 44, b. t.* quæ ita conciliari possunt, ut si solutum sit debitoris nomine, conditio cesset, si proprio, concedatur, ubi tamen subdistinguedum est, an species debita fuerit, an verò quantitas, ut hoc casu conditioni locus sit, illo verò cesset *l. 44, b. t.* In dubio autem hæc solutio nomine proprio facta esse præsumitur, quia solutio in dubio eum in casum videtur facta, quæ magis utilis est solventi *l. 1, 2, & 3, de solut.*

§. 4. Quarto excluditur hæc actio, quando eo casu solutum est indebitum, quo lis inficiando in duplum crescit. *l. 4, C. de condict: indeb. §. ult. I. de oblig: quæ ex quas: contr: Köppen d. loc:* uti quando lis ab initio adversus confitentem est in simplum, adversus inficiantem vero in duplum crescit, qualis casus est, si quis tumultus, incendii, ruinæ vel naufragii causa quid depositum apud se neget *§. 17, I. de act.* item si damnum datum *l. 23, §. 10 ad L. Falcid: § 19, I. de act:* legata venerabilibus locis, ut Xenodochiis, orphanotrophiis, sacrosanctis ecclesiis, scholis aliisque piis locis relicta inficiatus fuerit *d. §, ult: I. de oblig: quæ ex quas: contr: & d. §. 19, I. de act.* quæ inficiatione in duplum crescunt, quod ipsum etiam Imperator Diocletian, & Maximin: *in l. 4. C. de condict: indeb:* his verbis expresserunt, ea, quæ per inficiationem in lite crescunt, ab ignorante etiam indebita soluta repeti non possunt, sed si cautio indebitæ pecuniæ ex eadem causa interponitur, conditioni locum non esse constat. Licet autem veteres Glossatores & Dd, in ratione hujus rei admodum variant, mihi tamen eorum placet sententia, qui asserunt, omne, quicquid præstitū vel datū est, ex prædicta aliqua causa transactionis causâ datum esse, qui enim solvit post inficiationem in judicio jam factam (de hoc enim casu Imp: locutos fuisse præsupponendum est) ob metum periculi illius inficiationis, quod est dupli præstatio, simplum dedisse, ut scilicet à dupli præstatione liber fiat, adeoque transegitte videtur, ejus verò quod transactionis nomine datum est repetitionem non esse antea fuit ostensum. Nec obstat, quod iniquum sit alterum cum alterius damno fieri locupletiores & quod in omnibus causis æquitas sit spectanda *l. 90, de R. J.* nam videtur quasi scienter solutum & à confitente, etiam si enim non debeat; tamen nulla ipsi fit injuria, si actio adversus eum tanquam confitentem constituitur, si enim certus est, v. gr: non accepisse depositum, potest tuto negare, potest etiamolvere cum hæc conditione ut si appareat esse indebitum reddatur. *l. 2, b. t.*

§. 5^o

§. 5. Quinto præscriptio triginta vel quadraginta annorum, five quis ignorans five sciens indebitum accepit, hanc actionem excludit; quia non solum actiones ex contractu vel quasi descendentes regulariter hoc tempore præscribuntur, uti condictio certi, indebiti, sed etiam omnes actiones personales tanto tempore citra tituli vel bonæ fidei considerationem solo temporis lapsu excluduntur & finiuntur *l. 3. cum l. seq. C. de præscript: 30: vel 40, ann:* Et hæc de materia conductionis indebiti dixisse sufficiant.

FINIS.

I N D E X
R E R U M E T V E R B O R U M,

Prior numerus caput, posterior paragraphum denotat.

A.

A ctio personalis est condictio indebiti.	2. 2.
A ctio condictitia personalis datur contra eum, qui indebitum accepit nec locum habet rei vindicatio.	ibid:
Actiones ex contractu & quasi contractu descendentes, regulariter & activè & passivè transeunt in successores.	5. 1.
Nec impeditur transitio harum actionum per particulam taxativam contrahentis persone adjectam	ibid:
Limitatur.	ibid.
Acceptilatio etiam condici dicitur	5. 5.
Ad anti dwpq. obligatus an habeat indebiti repetitionem distinguitur.	12. 4.
Actor sequitur forum rei.	13. 1.
Actore non probante reus absolvitur.	14. 3.
Quando alius debet, & alius solvit, tunc excluditur hæc actio	15. 3.
In antichresi fructus certi propter excessum immodicum possunt repeti & in sortem imputari	5. 12.
Idem dicendum est de Salinis von den Saltzfällen/	ibid:

B.

Non omnes actiones personales bonæ fidei actiones sunt, licet qualitas bonæ fidei actionum in personam sit propria.

2. 2.

F 3

Ad

<i>Ad rationem Bachovii, conditiones potius esse bonæ fidei quam stricti juris actiones respondetur.</i>	ibid:
<i>Nullæ actiones bonæ fidei dicuntur, quod initium eas constituendi sit ex æquo & bono, sed quia in iis omnia ex bona fide iudicantur.</i>	ibid:
<i>Conditiones sunt actiones personales</i>	2. 2.
<i>Pro avertendo damno conditio secundum proportionem locum habet.</i>	5. 10.
<i>Ampliatur</i>	ibid:
<i>Debitor à Creditore, quæ prævia executione in bona ipsius iudicialiter est immissus, fructus perceptos quotannis condicere & rationes de illis postulare potest.</i>	5. 13.
<i>In certum & in incertum divisio in jure non infrequens est.</i>	3. 2.
<i>Corporalis res regulariter condicitur, res enim incorporalis aliã quam incerti conditione repeti nequit.</i>	5. 5.
<i>Civiliter indebitum sed debitum naturaliter non admittit conditionem.</i>	12. 1.
<i>In correis an conditio indebiti locum habeat nec ne distinguitur.</i>	11. 4.
<i>Qui accepit indebitum tenetur tantum dolum & latam culpam præstare</i>	D. 13. 2.
<i>Datur conditio indebiti non solum contra eum qui accepit, sed etiam ejus heredem.</i>	5. 1. & 6. 1.
<i>Aliquando etiam ei datur, cujus interest solutum non esse licet ipse non solverit.</i>	5. 3.
<i>Donatio semel facta revocari nequit.</i>	5. 4.
<i>In dubio donare suumque jactare nemo præsumitur.</i>	ibid:
<i>Limitationes Vid:</i>	5. 5.
<i>Qui dubitandi animo solvit, non datur conditio indebiti</i>	5. 6.
<i>Dubitans nemo præsumitur donare</i>	ibid:
<i>Dies incertus est loco conditionis</i>	10. 3.
<i>Dolo malo si quis aliquem ad promittendum induxit, tunc quod ex hac causa solutum est retineri non potest.</i>	11. 2.
<i>E.</i>	
<i>In repetendo indebitum soluto, actor libello inserere debet se errore solvisse.</i>	5. 4.
<i>Limitatur</i>	13. 4.
	ibid:
	Con-

- Condictio liberationis illi competit, qui per errorem calculi quantitatem indebitam, ut debitam promisit.* 5. 14.
- Errore indebitum præstitum esse oportet, ut conditio indebiti locum habeat.* 7. 1.
- Ob errorem facti regulariter datur conditio indebiti* *Limitatur.* *ibid:* 7. 2.
- Ob errorem juris qui putant dari conditionem perinde uti ob errorem facti, illorum sententia rejicitur.* *ibid:*
- Item eorum sententia, qui dicunt nunquam dari conditionem ob errorem juris.* *ibid:*
- Exceptio nonnumeratæ pecunia inter mercatores non habet locum. Neq; in literis cambii* 11: 1
- Exceptiones reo in condictione indebiti competentes vid:* 15.

F.

- Favori pro se introducto quilibet potest renunciare.* 5. 6.
- Fidejussores si omissa exceptione solidum solverint, an habeant conditionem indebiti, distinguitur.* 11: 5.
- Fictione juris pater & filius pro una eademq; persona haberi dicuntur.* 12: 2.
- Fidejussor qui pro principali solvit, si ipse etiam postea solvat, habet conditionem.* 14: 3.
- Quando filius mutuo accepit pecuniam & postea cum pater familias factus solvit & omisit exceptionem SCt. Macedoniani tunc ipsi non datur repetitio.* 11: 2.
- Fœminis singulari jure propter juris errorem quando indebitum solverunt datur repetitio.* 8: 1.
- Furiosus non tenetur condictione indebiti, nisi exinde locupletior factus sit.* 6. 1.
- Furioso qui sine tutoris auctoritate indebitum solvit, conceditur repetitio.* 12. 3.
- Verus dominus rem emptam ab emptore, qui vitium rei emptæ, vel etiam furtivam esse ignoravit, absq; refusione pretii condicere sive repetere potest.* 5: 15.

G.

- An quod ob factum contractum gabelle nomine solutum est, rescisso postea contractu, quasi indebitè solutum à fisco repeti possit.* 5. 10.
- Gene-

Generalia non extenduntur ad ea, de quibus non est cogitatum.

5. 6.

*Ob generalem rnnunciationem datur condictio indebiti non vero
ob specialem.*

ibid:

Generalia restringuntur ad voluntatem ipsius renunciantis.

ibid:

*Generalitas non obligat renunciantem in his de quibus tempore
obligationis non fuit cogitatum.*

ibid:

*Uni vel alteri ex creditoribus antequam reliqui jura sua deduxe-
runt per gratificationem solutum ab ipsis repeti potest.*

5. 11.

Limitatur.

ibid:

H.

Non solum datur condictio indebiti solventi, sed etiam ejus heredi

5. 1.

*Licet heredum in contractibus non fuerit mentio facta tamen actio-
nes in ipsos transeunt.*

ibid:

Limitatur.

ibid:

I.

Indebitum triplex est.

10. 1.

*In condictione indebiti cui probatio incumbit, potest adversario suo
deferre jusjurandum.*

13. 4.

Quod juramentum deferenti iterum referri potest.

ibid:

Jus omnes scire debent.

7. 1.

Illud ipsum ignorantes, pro consentientibus habentur.

ibid:

*In indebito omni jure tam naturali quam civili, ignorantia non
tantum in persona solventis, sed etiam accipientis requiritur.*

10. 2.

Judex secundum probationem actoris debet pronunciare.

14. 3.

*Judex non aliter judicare debet, quam legibus aut constitutio-
nibus, aut moribus proditum est.*

ibid:

L.

Libellus actionis in condictione indebiti.

5. 4.

*In literis cambii, non habet locum condictio, ut executionem im-
pediat.*

11. 1.

Legis frater à fratre 38. ff. de condict: indeb. genuina explicatio.

12. 2.

Lis quando inficiando crescit, tunc excluditur condictio indebiti.

15. 4.

*Libellus actionis pro processu inpetrato, quando est emissus, tunc
sufficit in termino eum reproducere.*

13. 2.

*In libello condictionis indebiti, actor majorem quam indebitam
summam non debet exprimere.*

ibid:

M. Mari-

M.

- Maritus qui ex actione dotis habet exceptionem in quantum facere potest, quando integram dotem restituit, nihil repetit.* 11. 4.
- Inter mercatores indebito per chirographum facta condictione non habet locum.* 11. 1.
- Mercatori debitori nec actio danda est ex causa non numerata pecunie ad repetendum chirographum, ante factam solutionem.* *ibid:*
- Mercatorum cause summariter tractari debent.* 11. 1.
- Melius est favere repetitioni quam adventitio luero.* 11. 2.
- Metu quando quis aliquem coegit, ut prouideret, quod ex hac causa solutura est retineri non potest.* *ibid:*
- Militibus singulari jure propter juris errorem datur conditio:* 8. 2.
- Minor perinde ac major habet conditionem Limitatur.* 12. 3. *ibid:*
- Minoribus singulari equitate propter juris errorem quando indebitum solverunt datur repetitio.* *ibid:*
- Limitatur.* *ibid:*
- Idem dicendum de militibus Limitatur.* *ibid:*
- Mulier solvens pro marito ad inopiam postea vergente, condictione indebiti solutum a creditoribus non potest repetere.* 11. 4.
- Non vero, quando ob intercessionem solvit.* 13. 4.

N.

- Natura equum est, neminem cum alterius damno fieri locupletiozem.* 5. 4. & 14. 2.
- Naturaliter indebitum & debitum civiliter tantum, etiam si errore juris solutum sit repeti potest.* 11. 1.
- Nemini error & ignorantia in damnis amittenda rei suae nocere debet.* 11. 2.
- Nemo indebitum, sed semper debitum soluisse praesumitur.* 13. 4.
- Notarii quando verba instrumentis apponunt, renunciavit condictioni indebiti, condictioni sine causa, actioni in factum & omni auxilio legis, nullum faciunt praesudicium erranti, nec tollunt conditionem indebiti.* 5. 70.
- Notariorum imperitia non debet esse partibus praesudicialis.* *ibid:*
- Et parti laesa ad interesse tenentur* *ibid:*
- O.
- Obligare qui se non prohibetur, tenetur condictione indebiti* 6. 1.
- G *Obliga-*

- Obligatio in conditione indebiti non nascitur, nisi quatenus res data est* 13.3.
- Origo conditionum ex aequo & bono est, suntque omnes naturales & iuris gentium.* P. 1.1.
- Prescribuntur actiones ex contractu vel quasi descendentes reguluriter triginta vel quadraginta annorum.* 15.5.
- Prescriptione triginta vel quadraginta annorum, conditio indebiti excluditur.* ibid:
- In plus & minus quando fiat condemnatio in hac actione vide* 14.2.
- Probanda est conditio indebiti perinde ac ignorantia.* 13.4.
- Limitatur.* ibid:
- Pupillus ut & prodigus non tenentur conditione indebiti, nisi exinde locupletiores facti sint.* 6.1.
- Pupillo & prodigo conceditur repetitio, qui sine tutoris autoritate indebitum solvit.* Q. 12.3.
- Ex quasi contractu potius quam vero competit conditio indebiti.* 4.2.
- Si quis recepta syngrapha sive quietantia creditori suo debitum totum restituit, & illam quietationem vel amisit vel se habere postea nescivit, & de novo conventus solvit, recepta quietatione quod solvit repetere potest.* R. 5.6.
- Per restitutionem in integrum succurritur debitori quando heredis praedeccessori fuit solutum.* 5.9.
- Ad restitutionem obligatur quis ex ipsa re, quando solutum indebitum postea apparet.* 2.2.
- Requiruntur duo ut solventi conditio indebiti competat, primo ut indebitum solverit, secundo ut per errorem solverit.* 5.3.
- Reassumptio litis, licet de jure civili non sit necessaria tamen de jure Saxonico heredes ad continuationem processus non admittuntur, priusquam litem negative reassumpserint.* 6.1.
- Renunciationes strictissime sunt accipiendae.* 5.6.
- Repetere potest ille qui tacite hoc agit si postmodum indebitum appareat restituatur.* 2.2.
- Res est vel certa vel incerta.* 3.1.
- Reivindicatio ob translatum solvendo dominium non habet locum* 2.2.
- Retineri potest indebitum naturaliter & debitum civiliter in exceptione rei judicate.* 11.2.
- Restitutio in integrum conceditur etiam minori, qui indebitum solvit, quando in eo est aliqua iudicii stabilitas.* 12.3.
- Qui

Qui generaliter renuntiavit omnibus beneficiis jure competentibus, 5.6.
illi adhuc competit condictio indebiti.

Res judicata habetur pro veritate & jus facit inter partes irretractabile. 15.1.

*Res judicata falsum in verum & verum in falsum convertit, de albo nigrum
facit & de nigro album.* ibid.

Res judicata de indebito debitum facit & contra ibid.

*Rusticis singulari equitate propter juris errorem quando indebitum solve-
runt datur repetitio.* 8.3.

Rusticis singulari jure jus ignorare permissum est. ibid.

Limitatur ibid.

Rusticorum causa summariter debent tractari 11.1.

S.

*Qui sciens sibi perpetuam exceptionem profuturam aliquid ut liberetur pro-
misit, condicere non potest.* 5.4.

Sciens quando quis indebitum accipit, furti tenetur. 10.3.

Stricti juris actio est condictio indebiti. 2.2.

*In stricti juris contractum non veniunt usura, nisi per stipulationem pro-
missa.* 13.3.

Solutionem indebiti qui allegat, eam probare debet. 13.4.

T.

*Ex testamento quod irritum fit & rumpitur vel falsum & inofficiosum de-
claratur quando solvitur, locus est condictioni.* 11.6.

Limitatur. ibid.

*Quod transactionis nomine datum est, sive quando indebitum quidem datum
solutum tamen non est, potest condici.* 15.2.

Limitatur. ibid.

In heredes transitoria actio est condictio indebiti. 2.2.

Transitionis actionum effectus 6.1.

Tributarii indebitum solutum repetunt. 5.10.

V.

Usurae ultra alterum tantum solutae condictione indebiti repeti possunt 10.2.

Idem dicendum de usuris usurarum. ibid.

Consuetudine tamen in nonnullis locis contrarium obtinet. ibid.

*Usurae ultra legitimum modum promissae non possunt repeti de jure commu-
ni, sed in sortem imputanda sunt.* ibid.

Aliud observatur de jure Camerali. ibid.

Usurae hodie ex Recessu Imperii debentur ex mora. 13.3.

ADDENDA.

§. 4. cap. 13. ob meliorem intellectum sunt sequentia. Reus in dubio præsumptionem debitè accepti præ se fert, cum solvens nunquam ita resupinus credatur, ut facilè suam pecuniam jactet, & indebitam effundat l. cum de indebito 25. pr. ff. de probat. Quod tamen præsumptionis beneficium aliâ fortiori præsumptione superatum perdit, inque actorem transfert, si rem, vel pecuniam accepisse absolutè negaverit, & is, qui dedit, legitimis probationibus solutionem docuerit, quo casu convictus juris sui diffidentia negasse præsumitur, & propter hoc rem solutam restituere tenetur, uisi eam debitè accepisse in continenti probaverit d. l. 25. pr. ff. de probat. Cardin. Tulch. pract. Conclus: tom. 5. concl. 158. Lit. M. ad quam probationem in eodem judicio admitti debet, antequam restituat. A quo onere tamen se relevare potest, si ab initio pecuniam quidem accepisse confiteatur, non indebitè vero sibi solutam fuisse excipiat; ut ita in indebiti conditione inficiatio duplici pœnâ, sed alternativè tantum vindicetur, onere scilicet legitimæ probationis, aut pecuniæ sivè debitè, sivè indebitè restitutione Fuly. Pacian. lib. 1. de probat. c. 19. n. 17.

EMENDANDA.

In pr. Dedicat. pro Aulet lege Audet in fine reliquum pro reliquum. In indice capitum cap. 8. pro singulare jure, singulari jure. In cap. 3. §. 2. istut, pro istud. in §. 3. pro conductor conductor in cap. 4. §. 2. pupull: subst: pro pupill: in cap. 5. §. 4. in fine cum imploratione consultâ, pro consuetâ, in §. 7. favori posse introductol, pro se. ut in Academia, pro uti in §. 10. damum resarciatur pro damnum. in §. 11. 24. ff. pro l. 24. extersionem pro extorsionem. pontè pro spontè. in cap. 7. §. 2. Mens: Jung. pro Jun. Döchla / pro Döhla. in cap. 8. §. 1. taman pro tamen ad SCt. Vollej. pro Vellej. in §. 2. consule, pro consulere. in §. 4. omnibus innotescere, pro innotescere. in cap. 10. §. 2. texatum pro taxatum. in cap. 11. §. 1. Statut. Hamburg. pro Hamburg. in §. 3. Exceptio indebiti, pro exceptione in §. 6. Noovell. pro Novell. in cap. 12. §. 4. etium pro etiam. in cap. 13. §. 4. hoc obtinent pro obtinet.



Q. 183. 8

JOHANN

TRACT


CON

Ex jure co

stitu

Gum In

Sumptibus



polds

ICUS


ONE

& Con-

to.

BIBLIOTHECA
UNIVERSITATIS

opol.



Ve
839


Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches

Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



7

